Q. F. F. F. Q. S.

GOTHOFREI VOIGTII, DELICIANI,

DELICIÆ PHYSICÆ

ΕΠΙΔΙΕΣΚΕΥΑΣΜΕΝΑΙ,

DE

STILLICIDIO SANGUINIS

EX INTEREMTI HOMINIS CADAVERE PRÆSENTE OCCISORE,

LACRYMIS CROCODILI,

CATULIS URSARUM, AMORE OVIS ET LUPI, PISCIBUS FOSSILIBUS ET VOLATILIBUS, CONVENTU SAGARUM AD SUA SABBATA, INFANTIBUS SUPPOSITITIIS, CORNU CERVI, ET STELLIS CADENTIBUS

ACCURATA METHODO CONSCRIPTÆ.

ROSTOCHII,

Imprimebat JOHANNES KILIUS, Univ. Typ.

ANNO M. DC. LXXI.

A. 5672
BK

SUMME REVERENDO, ILLUSTRI, MAGNIFICO ATQUE EMINENTISSIMO

DOMINO
DN. CHRISTIANO CASSIO,

JCto CELEBERRIMO,

SACRI LATERAN. PALATII, AULÆq; CÆSAREÆ COMITI PALATINO ET IMPERII EXEMTO,

SERENISS. DUCUM HOLSATIÆ, NEC NON EPISCOPI LUBECENSIS CONSILIARIO INTIMO,

CANCELLARIÆ CAMERÆQUE DIRECTORI SUMMO,

CAPITULI UTHINENSIS DECANO SPECTATISSIMO,

DOMINO, AFFINI AC PATRONO MEO

OPTIMO, MAXIMO,

S. P. D.

GOTHOFREDUS VOIGTIUS.

EMINENTISSIME
DOMINE,

Biennium eſt, & quod ex-
currit, cùm Diſputatio-
nes aliquot Academica
illuſtri TUO dedicav
nomini: ex quo tempor
nihil poſtea habui prius aut antiquius,
quàm ut omni ratione niterer, TU

VM

UM mihi conciliare animum, quem erga Muſas propenſiſſimum eſſe, teſtes fide digni mihi confirmarant. In his beatus noſter JANUS erat, Epiſcopus de Eccleſiâ Megapolitanâ optimè meritus, Socer meus etiam poſt fata venerandus, quo interprete primus literis meis ad TE patefiebat aditus. Nec falſum me ſpes ac opinio mea habebant. Nam præter favorem ac gratiam TUAM, quam ambiebam honeſtè, ſumma præterea mihi tribuiſti beneficia, quæ ſi à Sereniſſimo noſtro PRINCIPE receſſero, cum nullius omnino officiis comparare poſſum. Præfiſcini dicam: non Patronum, ſed PATREM & ampliùs TE mihi meisq; præſtitiſti. Atq; utinam dignum aliquod grati mei animi monimentum reperire, TIBIQ; conſecrare potuiſſem! Sed adeò curta mihi erat ſupel-

lex, ut, licet omnem meam excuterem paupertatem, nihil tamen in eâ, quod summi viri personâ dignum esset, invenirem. Tandem TE meas esse aliquid putare nugas intelligebam, quod quidem ex amore magis, quàm judicio profectum crederem, si amorem TUUM sine judicio esse posse scirem. Mittebam igitur TUÆ MAGNIFICENTIÆ opuscula quædam Physica, hîc Güstrovii edita, non ut ea perlegeres: summa quippe Regum Principumq; TIBI obeunda negotia ab ejusmodi tricis animum avocant; sed ut humilem meum in TE affectum inde cognosceres. Atque hæc quidem misi; sed missorum toties me pœnitet, quoties ne meminerim, à me impetrare non possum. Adeò priores fœtus provectioris damnat ætatis judicium, nec tamen unquam de-

ſinimus diſplicitura condere. Emendare quidem nonnulla ex meis cœpi, & in his præcipue Diſputationes illas Academicas, *Deliciarum Phyſicarum* nomine inſignitas; ſed cùm manum admoverem operi tanta in eo occurrebat difficultas, ut ab incepto me ferè deterruiſſet. Dum enim Latini ſermonis puritatem ſectabar, veritatem penè amiſiſſem, quæ Romanæ literaturæ cancellis ſe includi non ſemper patitur. Itaq; Philoſophi veſtigia ſequens, ὀνοματοποιεῖν mihi quandoq; licitum, meque non Latinitatis, veritatis ſtudioſis ſcribere putabam. TIBI autem cùm dedicatum irem denuò hunc librum, dubius hærebam iterum, quid agendum mihi eſſet: quippe non ignarus, TE magni illius GROTII exemplo elegantiſſimè ſcribere ac puriſſimè. Atq; hac novâ difficultate obortâ adeò

profectò commovebar, ut animum fere desponduissem, omnemq; scribendi conatum penitus abjecissem. Recordatus tamen singularis TUÆ ac propè divinæ in tantâ dignitate humanitatis, quâ TE adeò demisisse, ut missis ad me literis, quàm carus TIBI essem ostenderes: animos sumsi, atq; in incepto opere perrexi, quædam nunc addens, nunc demens, usq; dum ad finem meo defunctus mihi videbar labore, quum in alium incidebam scopulum, metuens, ne crambem bis coctam TIBI apponerem. Sed & hunc metum TUA mihi eximebat humanitas, & amor scientiæ naturalis, qui eò TE adegit, ut præclarè de me meisq; [illegible] Quod cùm recordor, etsi me[illegible] probè novi, tamen mihi in[illegible]um aliquid esse videor, istâq; inani ambitione ita profectò delector, ut il-

le dolor, quem ex difficultate capio remunerandi, si non tollatur, minuatur quidem certè. Quanquam TU is es, qui TE satis superq; remuneratum existimas, si modò id, quod dedisti, ab eo, qui accepit, intelligis memoriâ teneri. Quo in officio præstando, noli crede[re] quenquam esse, qui me vincat. Argumento sunt *Deliciæ* hæ *Physicæ*, quas ut olim rudes, ita nunc paulo politiores illustri TUÆ consecro MAGNIFICENTIÆ, ut videant omnes, me, qui gratus esse non potui; ingratum tamen vivere noluisse. Persis in more positum fuit, occurrenti Regi offerre munera, pro suâ quisque conditione, vilia aut splendida. Ex hoc more Sinæta procul à suo tugurio Artaxe[rx]i Mnemoni obviam factus, aquam manu haustam obtulit, quæ adeo grata dicitur fuisse Regi, ut au-

reâ phialâ excipi illam jusserit. Liceat mihi etiam induere personam Sinætæ. TV, EMINENTISSIME CASSI, meus mihi sis Artaxerxes: aquæ loco sit hic liber, præmaturus ingenioli mei fœtus. Hunc TIBI dono in signum meæ in TE observantiæ gratiq; animi. Si susceperis, multò mihi præ Sinæta videbor beatior, atq; felicior: idq; ita futurũ, sperare quidem non audeo, cùm me noverim, nec desperare tamen, cùm TE noverim. VALE, & me quocunq; loco, modò ne extra clientum TVORVM numerum pone.

Scrib. Güstrovii V. Kal. Jan. A. C. 1671.

IN vanis alii conſumunt tempora rebus,
Atq́; dies gerris, futilibusq́; terunt.
Tu contrà Cæli metas, terræq́; meatus
Indefeſſus obis, dexteritate notas.
Grajugenûm, & Latii conſtipas undique Gazas,
Quicquid in antiquis delituiſſe patet.
Naturæ Templum voluis catus, atque revoluis,
Conſpicienda polo, & conſpicienda ſolo.
Paviſti mentes juvenumque ſenumq́; potenter,
Laicus & Clerus Scripta polita legunt.
Plus ultra tendis, Naturæ occulta repandis,
Delicias Phyſicas ſiſtis, hoc artis opus.

LEMNIUS, & SCHOTTUS, SCHWENTERUS in hisce fuêrunt,
Non pigeat Musas lumina tanta sequi.
Quisquis in hoc circo Musarum flagrat amore,
Delicias VOIGTI comparet, atq; legat,

Hisce Clarißimi, Eximii atq; Excellentißimi DN. VOIGTII, Illustris Lycei Gûstrovici Rectoris Celebratißimi, amici & fautoris honoratißimi DELICIAS PHYSICAS docto orbi commendare voluit.

CHRISTIANUS WOLDENBERGIUS,
Crempâ-Holsat. Phil. J U. D. Decretal. PP.
Ducalis Consist. Assessor & Comes
Palat. Cæsareus.

INDEX

INDEX
CAPITUM.

I. CAPUT
DE
STILLICIDIO SANGVINIS EX INTEREMTI HOMINIS CADAVERE, PRÆSENTE OCCISORE.

II. CAP.
DE
LACRYMIS CROCODILI.

III. CAP.
DE
CATULIS URSARUM.

IV. CAP.
DE
AMORE OVIS ET LUPI.

V. CAP.
DE
PISCIBUS FOSSILIBUS.

VI. CAP.
DE
PISCIBUS VOLATILIBUS.

VII. CAP.
DE
CONVENTU SAGARUM.

VIII. CAP.
DE
INFANTIBUS SUPPOSITITIIS.

IX. CAP.
DE
CORNU CERVI.

X. CAP.
DE
STELLIS CADENTIBUS.

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

DELICIARUM PHYSICARUM

CAPUT I.

DE STILLICIDIO SANGUINIS EX INTEREMTI HOMINIS CADAVERE, PRÆSENTE OCCISORE.

P*Luviæ Sanguineæ. Sanguis in igne, cervorum cornibus, pane, ovis, piscibus & pisis. Historiæ variæ de stillicidio Sanguinis præsente occisore. Sententia Galeoti, Vincentii & Scribonii hâc de re. Levini Lemnii, Kircheri & Kozack aliorumq; opinio. Campanellæ, Petri de Albano & Tholosani mens. A[illegible] sententiæ Cœlii Rhodigini, Bodini, Corne[illegible] mæ, Majoli, VVatsony, Neovaldi, Libavÿ, V[illegible] Horstÿ & Sperlingÿ. Vox Stillicidium. Sa[illegible] [illegible]ca- daver. Homo. Antipath[illegible] [illegible]pa hia. [illegible]- tus. Distinctiones ad statu[illegible] [illegible]oversiæ per- tes. Vera sententia explica[illegible] [illegible]onfirmatur pri- mò rationibus, deinde exemplis. [illegible] vindicatur ab objectionibus Magistri cujusdam Lipsiensis. Examen*

 opinio-

opinionis Galeoti & Sympathias defensorum. Lemnij, Schotti & Kircheri error refutatur. Quid de Campanella & Tholosani sententiâ habendum sit, ostenditur. Lapsus Cœlii Rhodigini. Bodini & Kornmanni sententia falsitatis & impietatis convincitur. Error Cornelii Gemmæ. Majoli sententia examinatur. Judicium de VVatsonij opinione. Libavij & Avicennæ somnia. Censura opinionis Valeriola & Tympij.

MUlta de *Sanguine* passim apud Scriptores memoratu reperiuntur digna. Sic memoratu digna *pluvia illa sanguinea*, quæ cecidit in *Gallia*, Anno Christi 541. teste *Büntingero*; in *Silesia*, Anno Christi 1268. teste *Hammero*; in *Helvetia*, Anno Christi 1274. teste *Jovio*; in *Bavaria*, Anno Ch. 1349. teste *Stumpfio*; in *Bohemia*, A. C. 1416. teste *Hagecio*; in *Saxonia*, A. C. 1548. teste *Pomario*; in *Lusitania*, A. C. 1551. teste *Sleidano*. Memoratu dignæ *aristæ illæ sanguineæ*, quæ anno ante natum Christum 215. desuper delapsæ perhibentur à *Livio* & *Polybio*. Memoratu dignæ *sanguinis illæ guttæ*, quæ sub ipsis flammis extiterunt, Alexandro M. T[yr]um obsidente, ut testatur *Curtius*. Memoratu digna *hæmorrhagia*, sive *sanguinis fluxus ex parietibus & cervorum cornibus*, A. C. 1580. autore *Büntingero*; ex

pane

pane, quem militum aliquis apud Macedonas fregerat, ut tradit *Curtius*; Ex *uvis*, quas Hungari A. C. 1546. decerpſerant, ſcribente *Ghonneyero*; Ex *piſcibus & piſis*, quod anno hujus ſeculi 63. *Jutrebogæ*, eveniſſe, perhibent. Quò etiam nonnulli referunt *hæmorrhagiam illam ex cadaveribus hominum, injuſtè occiſorum, præſentibus iis, qui authores cædis extiterunt.* Cujus rationes quidem Phyſicas multi, iiq; non indocti Viri reddere anxiè ſunt conati, ſed fruſtra. Nam, ut *B. Sperling: Inſtit: Phyſ. l. 2.* inquit, *experientia illa de ſanguine, è cadavere occiſi ad præſentiam homicidæ ſtillante, fallax eſt. Nec enim ſemper ſanguine ſtillat cadaver, homicidâ præſente: Nec quoties ſtillat, toties homicida adſtat.* Quamobrem nos impræſentiarum varias Autorum opiniones, ex Phyſicis potiſſimùm petitas, recenſebimus, & numquid ponderis ipſis inſit, pro ingenii viribus videbimus. Deus faxit FELICITER!

SECTIO I.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Varias historias atq; Auctorum sententias recensens.

ARTICULUS I.

Producens historias.

§. I.

PErsuasum omninò multis est, innocenter occisorum corpora, in conspectum producta, præsente interfectore, sanguinem è vulnere, naribus aut alia corporis parte profundere. Cujus rei exemplum affert *Franc. Valeriola lib. 2. Obser. fol. 202.* illudq; se vidisse, plenâ attestatur fide. Nam cùm *Jacobus ab Aqueria*, Patritius Arelatensis, vulnere mortuus esset, & qui vulneraverat, à Magistratu comprehensus, in conspectum cadaveris delatus fuisset, ut occisum recognosceret, & scelus fateretur, mox ebulliens sanguis multô cum fervore & bullis è vulnere & naribus prodire, cunctis adspectantibus, cœpit.

§. II. Idem ingeniosus ille Poëta Haarsdörffer in Jämmerlichen Mord-Geschichten.

tenc.

ten c. CXXIX. 3. p. 444. de Opilionis cujusdam occisi cadavere refert. Scilicet cùm Anno 1607. d. 25. Aprilis, Opilio quidam, in Hispania, suum pasceret gregem, à Nobilibus duobus interfectus, & fruticeto injectus fuit. Judices ejus loci, Opilione multum diuq; perquisito, post quatriduum demum sub fruticeto eum reperere. Quoniam verò cædes ista sine testibus facta erat, suspicio in Nobiles, in viciniâ habitantes, cecidit. Qui etiam capti & ad occisi cadaver rapti sunt. Sed quid fit? Primus vix limis, ut ajunt, oculis cadaver aspexerat, ecce! copiosus inde promanare sanguis occipit. Alterò verò accedente, ipsa interempti dextera adstantibus primò vulnera, post & ipsum occisorem monstravit. Quò factum, ut duo illi suspecti Nobiles cædis hujus ductores sponte sese confiterentur, dignumq; factis suis supplicium luerent.

§. III. Aliud exemplum citatus Autor l. d. affert, cujus ipsa Germanica verba adscribere non verebimur:

Zu Wertheim in Francken / wurde ein toder Leichnam zu Nachts auff der Gassen gefunden: 36. Stunden hernach / als der Leichnam etliche Stunden unter den freyen Him-

en Himmel gestanden / (damit man nicht wähnen können / die Bewegung macht die Wunden blutend) ist darüber geführet worden Baltas und Niklas N. N. der Cörper aber hat kein Zeichen von sich gegeben. Diese beyde waren davon gegangen / wie sich der Streit angehoben / und also unschuldig. Auff fürführen Jörg N. hat der Cörper aus dem Munde blutigen Schaum gegeben (dieser ist dabey gewesen / hat aber nicht Hand angeleget / doch den Streit angefangen / und das ärgste dazu geredet.) Nach dessen Ab- und Vorführung Clausen Wächters (welcher nach seinem Vorgeben Friede machen wollen / und den Entleibten die Helleparte genommen) hat gedachter Cörper Blut gegossen aus den Wunden über dem Hertze / und selbes gebebet / als ob der Entleibete noch lebete. Dessen ungeachtet hat der Wächter den Eyd geleistet / und (1) zween Finger auff deß entleibten Mund / (2) auff den Stich / und (3) auff den Nabel geleget / und dreymahls dem Pfarrer / der Ihm seineß Gewissens erinnert / den Eyd nachgesprochen / den Todschlag aber nicht bekennen wollen. In Gegenwart Lorentz N. mit welchem der Entlei-

Entleibete/ da er den Stich bekommen / zu thun gehabt/ und getrungen/ hat der Cörper abermahls blutigen Schaum aus dem Munde gegeben/ und etwas Blut aus den Wunden. Deß folgenden Tages hat sich der Wächter und Lorentz für einen Thäter angegeben/ weil Sie beyde Ihn wegen geringen Zanck Uhrsachen ümbgebracht. Ist Ihnen auch nach Ihrer That gelohnet worden.

§. IV. Simile huic refert *Crusius part. 3. annal. Svev. l. 9. c. 16. pag. 536.* Hoc 1510. anno, in Bacchanalibus, die Martis, interfectus est Johannes Albusser (apud Albussam in Mosbacensi Parochia) in Sultzbergo, punctione non magna super genu: nec percussor sciri potuit. Quatuor posteà septimanis, iterum die Martis, fratres & propinqui illius, duos Aucupes ex Kelenberga in Provinciale judicium Campidonum adduxerunt, ac de cæde accusarunt. Illi, se innocentes affirmâre; sententia lata est, ut jusjurando se purgarent: duobus digitis, inter quos alba lana, in vulnus impositis: annon aliqua mutatio vulneris secutura esset. Primò jurante nihil novi secutum; Altero autem jurante, rubere cœpit vulnus & sanguis exire, per

pedem defluens, populô cernente numerosô. Tun c judices illum ut cædis Auctorem, capiti d n ar nt : Quo etiam supplicio ftus â in viâ juxta provinciæ l.

similia sunt ea, quæ *Korn:* xit exempla. Quorum *Herefordensis*, in Anglia E- *thertus de Clara*, comes Glo- erat injuriis, eò quod jura eretur, ille invaderet. C nte. in sunm Episcopus abscns Necessarij a , us ad ejus Ecclesiam deferenda ossa ius carne ablatâ curaverunt. Mo vius factus est Comes, à puris nudatis , omni carne ac sanguine ossibus nanavit sanguis. Id conspi- ome terrore concussus pœr tiactus clesiastica jura vi à vasa iit. *us* 5. Octobr. *Matth.* *pius* n a Theo Philos. c. XXIII. q. 31. p. 191.

§. VI. *Alterum* ex *Cantipratano* lib. 1. mir. c. §. 2. de *Henrico Abbate Blesensi*, narratur, sequentib verbis : Henricus Canonicus ilari in urbe Blesensi in monasterio S. Mariæ de Burgo medio, cùm diu Parisiis studuisset, in Abbatem licet invitus ab omnibus est e-

est electus. Hic cùm in religiosos suos, tum hortatu ad regulam servandam, ad honestatem vitæ, & ut tenerent in manibus disciplinam, tum rigore usus esset, ab illis per tres scelestissimos Ribaldos conductos crudeliter occisus est. Roberto autem tunc socio ejus evadvnte, corpus occisi ad monasterium delatum est, & in Ecclesiâ collocatum, & vide Lector, quid actum sit & probatum. Statim enim ubi sequenti die ad sepulchrum occisi, de locis ubi extra manebant, rei criminis Ecclesiam intraverunt: Ecce vox sanguinis Fratris sui Abel de terrâ quasi vindictam clamans, per vulnera, quæ à locô occisionis sicca remanserant, abundantissimo sanguinis impetu in eorum præsentiâ manaverunt.

§. VII. *Tertium* est *Puellæ* cujusdam à Judæis crudelissimè occisæ, quod ea eodem *Cantipratano l. 2. mirac. c. 29. §. 22.* refert. Nimirum contigit Anno C. 1271. in villa Pfortzheim/ ut quædam malignissima vetula Judæis familiaris effecta, puellam eis annorum septem orbatam Parentibus venderet occidendam. Hanc igitur in secreto, super plura parialia linteaminum obstructo ore ejus, in omnibus ferè juncturis membrorum inciso-

cisionibus vulnerârunt, maximo conamine sanguinem exprimentes, & in ipsis linteaminibus diligentissimè receptantes. Hanc autem post tormenta defunctam, Judæi in aquam fluidam prope opidum projecerunt, & super eam lapidum congeriem posuerunt. Tertia verò vel quartâ die, per manum erectam ad cœlum à Piscatoribus est inventa, & in opidum deportata, horrentibus & clamantibus Populis, à judæis impiis tantum flagitium esse perpetratum. Erat autem in vicinia Marchio de Baden, qui mox audito tanto piaculo, pervenit ad corpus, statimq; ipsum corpus erectum residens tetendit manus ad Principem, quasi vindictam sanguinis, vel fortè misericordiam imploraret. Post horam verò dimidiam se deposuit defuncti more supinum. Adductis igitur ad hoc spectaculum impiis Judæis, statim eruperunt omnia vulnera corporis, & in testimonium horrendæ necis copiosum sanguinem effuderunt. Judæi capti pœnam dederunt.

§. VIII. Pertinet huc etiam casus ille, quem *Georgius Horstius Tr. d. Conserv. cadav. p. 1.* sequentibus exponit: Anno τȣ λόγȣ 1604. die 26. Decembris, Vir quidam Nobilis Ju-

lis Juvenis ætatis ſuæ 25. anno, veſpertino tempore, circa nonam horam noctis, è feneſtrâ domus ſuperiori in opido **Blind- marck**/ inferioris Auſtriæ, bombardâ petitur, & globo tormentario per ſiniſtram pectoris immiſſo, perq́; dextram hypochondriorum exeunte, protinus in loco occiditur. Reviſo cadavere, vulnereq́; conſiderato, quantitas eadem introitus atq́; exitus, non ſine copiâ ſanguinis profluentis, reperta eſt. Subſequente die 27. Decemb, tempore matutino, corpus occiſi juvenis veſtibus aliisq́; ornatur, atq́; ita per biduum quietum retinetur. Porro 30. Decemb. in libitinam reponitur, & in loco ſacrô cuſtoditur, idq́; ſine motu ulteriori, ubi tamen nihilominus ex vulnere ſuperiori usq́; ad 8. Jan. Anni 1605. recens quotidiè manavit ſanguis, à quo tempore hæmorrhagia deſiit. Rurſus verò 13. Febr. circa meridianum tempus ſanguinis fluxus per vulnus inferius hora una atq́; altera deprehenſus fuit, ac ſi jam vix cædes facta eſſet.

§. IX. Nec prӕterire poſſumus narrationem *Andreæ Hildebrandi*, in Epiſt. ad *Greg. Horſt*. Sect. 9. p. 432. ita ſcribentis: Accidit cùm Stolpis adhuc eſſem, apud Illuſtriſſ. viduam,

duam, ut in vicino pago Schmalſin, Præfecti ejus loci exſpatiatum euntis canis aquaticus, fortè fortuna infantem terrâ reconditum, & jam ſemiputridum erueret, quem, cùm Præfectus in pagum reportari curâſſet, puellas, viduas, reliquasq; omnes extra matrimonium viventes, convocari juſſit, & ſingulis infantem ulnis geſtare, ac ſequentia verba eloqui mandavit: **Dofern ich an dieſem Kinde ſchuldig bin/ ſo thue GOtt ein Zeichen an mir.** Indè cùm ad agnatam proximam reæ ordo pervenit, pauxillum ſanguinis è naribus & quidem lentè effluxit: Ubi vero in manus propriæ matris traditus eſt (quæ virginali adhuc incedebat habitu, &, ut poſtmodum per torturam confeſſa eſt, Dantiſci à Primario Mercatore imprægnata) copioſiſſimum ac rubicundiſſimum ſtillare cœpit ſanguinem, multis inſtar miraculi id ſpectantibus, cùm ante octiduum jam terræ commiſſus, nec ut ipſamet faſſa, vitalis unquam fuerat, quod tamen vix verum (ſerum ſatis) putaverim. Mater, cum nihil aliud ab ea per Carnificem extorqueri potuit, quàm quod fœtum mortuum noctu clam terræ mandaverit, ne vel ita famæ jacturam pateretur, non capitis ſupplicio affecta, ſed tantum proſcripta fuit.

§. X.

§. X. Imprimis verò memorabile illud est, quod *Thuanus lib. 32. Histor.* commemorat de Cosmo Magno Hetruriæ Duce. Huic inter alios liberos erant duo filii, quorum minimus natu Garsias Johannem Fratrem jam tum Cardinalem vix *16.* ætatis annum supergressum, ex puerili æmulatione, atroci odio diu nutrito, inter venandum, cum seorsim à sociis per devia alter in alterum incurrissent, acinace cominus transverberaverat. Cadavere inter vepreta invento req; ad Cosmum Parentem delatâ, is suspicatus, quod erat, cadaver multâ nocte in urbem inferri & in conclavi ædibus suis proximo collocari jubet, tùm semotis Arbitris ad conclave venit, & sevocatum Garsiam, ac de Fratre interrogatum, cum factum ille pernegaret, ad cadaver accedere jubet, eoq; renudato, & cruore ad percussoris conspectum mox ebulliente, En, inquit, sanguis Fratris tui, qui ultionem à Deo atq; etiam à me deposcit; Me miserum, qui tales Filios genuerim, aut iis superstites fuerim, quorum unum immani parricidio necatum hisce oculis adspicere cogor; alterum, ni impius & iniquus juris inter meos dispensator sim, è mediô tollere, ipsâ pietate suggerente compellor! Scelus

est Pa-

est Patri, Filium interficere, sed majus scelus admittam, si eum vivere diutius patiar. Qui per fratris perniciem ad Patris necem & familiam totam cæde ac ferro evertendam gradum fecit. Tum fatente crimen Garsiâ, & rixæ principium dedisse Johannem affirmante, ita ut nisi peste Fratris salutem propriam expedire non licuerit, Cosmus, qui mite Johannis ingenium nosset, pugionem quo ille fratrem confoderat, & adhuc cinctus eò venerat, supplici eripit, nudumqve stringens, hodiè, inquit, pestem domesticam, ne latius exemplo serpat, è visceribus meis avellere decrevi, & quanquam dulcissimi Filii cædem, non nisi alterius filii moribus disparis cæde expiare possim, malo me posteritas infelicem ac durum Patrem prædicet, quàm imprudentiæ & iniquitatis arguat. Tu verò gaude, quòd vitam, quâ indignus es, cum amittere debeas, in Patris manibus, à quo etiam accepisti, depositurus sis: quô dicto Deum comprecatus, ut factum comprobaret, & sonti Filio gratiam delicti faceret, eum eodem pugione, quô fratrem confecerat, juxta Johannis cadaver interfecit, quam calamitatem silentio sopiri voluit prudentissimus Princeps, fama sparsa, ex

popula-

populari morbo alterum post alterum extinctos.

§.XI. Deniq; huc referri etiam solet exemplum, quod quinquennio abhinc in oppido Koßwick / duobus milliaribus à Wittebergâ distante, accidisse dicitur. Cùm n. illic venefica quædã mulier Adolescentem, arti sartoriæ add[illegible]tũ, præstigiis suis interfecisset, & posteà [illegible] ssu Mariti, ut suspicionem à se amoveret, & cadaver in feretro jam positum, accedens ternâ vice hæc verba repetiisset: Hab ich Schuld an deinem Tode / so gib ein Zeichen von dir; Tunc statim sanguis ex ore & naribus emanavit, atq; præsentem homicidii ream indicavit. Cæterùm longè plura superior pariter atq; recentior ætas refert exempla; Quæ si omnia recensere vellem, tempus prius & charta, quàm scribendi materia me deficerent. Quamobrem exposito nunc Articulo primô, esto

ARTICULUS II.

Proferens rationes.

§. I. Hic non una eademq; Eruditorum mens est: Sed tot ferè occurrunt sententiæ, quot capita Scriptorum. *Galeotus Martius Narniensis lib. de promisc. doct. cap. 22.* ad decimam

cimam aut duodecimam horam à tempore perpetratæ cædis cruentationem hanc restringit, causamq́; ejus in *Occisoris & occisi spiritibus* quærit. *Cum enim*, inquit, *occisor furore ductus, hominem aggreditur, cuncti spiritus, qui sui sunt, opus juvantes, in occidendum convolant, sicut de more eorum est, itiaq; mg; hominis trucidandi in occisorem tendunt, q... corporis sui prosilit, ita ut in occisorem ... biq; vivant. Cum ille occisus est, s... jam frigefactus fluere desinit, sed comparente occisore spiritus utriusq; diverso motu agitantur. Quilibet suum corpus repetens motum facit, unde & hominis occisi spiritus redeuntes, sedemq; suam repetentes, & occisoris recedentes, ut ad corpus redeant, faciunt motum ejus rei, quam habitant (habitant autem sanguinem) & hoc pacto sanguis jam frigidior & ad fluxum ineptus, ab occisoris & occisi spiritibus vi multiplicata agitatus, rursus fluitat, estq; illis tantus propri... rporis affectus, ut plerumq; latitantem homi...m sed proximè existentem intra tempus, quo ... ssignavimus (tot enim horis vivunt) reco...verint a... repetiverint. &c.*

§. II. Accedunt huic *Galeoti* sententiæ *Sympathiæ* defensores, eodem ferè m...ô rem explicantes. Vovet autem hanc o...ionem

Vincen

Vincentius tom. 1. *spec. l.* 4. *cap.* 13. Cui pollicem etiam premit *G. Scribonius lib.* 1. *phy*[illegible] §. 82. Nec alienam gerit mentem *Pet[illegible]us Ap[illegible]nensis in Comment. in probl. Arist.* 7. *part. probl.* 6. *c*[illegible] 2. Hic enim, testibus *P[illegible]tr. Greg. Tholosan*[illegible] *& Prosp. Farinacio*, ad spiritus, ex interfe[illegible]ris oculis, in cadaver egredientes, confugi[illegible] eosq; vi sua sanguinem illum commovere[illegible] & elicere statuit. Deinde addidit, interfe[illegible]ctorem nonnullos inimicos Spiritus in corpus occisi transfudisse, qui post modum, a[illegible]cedente rursus occisore, propter qu[illegible]d[illegible] cum eo sympathiam evolent[illegible] sanguinem excitent, & in sedem suam propriam remigrent.

§. III. Alia verò contra est sententia, quæ stillicidii hujus causam ad *Antip[illegible]th[illegible]am* refert, & p[illegible]onitur à *Levino Lemnio lib.* 2. *de oc[illegible]lt. Nat[illegible]. cap. VII. p.* 304. h[illegible]s verbis: *Quo[illegible] quis [illegible]tuat, propinquos ac sangui[illegible] conjun[illegible] Sympathiâ quadam, hoc est, mut[illegible] naturæ consensu, sanguinem elicere: facinorosum a[illegible] p[illegible]trat[illegible] sceleris reum Antipathiâ ac di[illegible]sione tac[illegible] tag; discordia id ipsum efficere, non [illegible]urus sum in eâ re contentiosus.* Cui assentit[illegible] etiam *Delrio lib.* 3. *Disquis. Mag. cap.* 8. *q.* 4. *p.* 61. *seq.*

 ubi

ubi tandem poſt aliorum adductas ſententias in hæc verba deſinit: *Neq; adhuc video, quid ſolidius adferatur illa Antipathia ex vehementi odio occiſi in occiſorem; quod qualitatem latentem ac arcanam impreſſerit corpori, cum cadavere permanentem.* Nec diverſum ſentit *Athanaſius Kircherus art. Mag. part. 9. quæſt. poſt. c. 3.* ita hanc prodigioſam, ut vocat, naturæ actionem explicans: *Vehemens & violentus ſpiritus, quo occiſor alium ſibi inimicum impetit, maligna vi plenus per oculos, os, nares in inimici ingreſſus intimas fibras, tum potiſſimum ſanguinem, ac in ſanguine latentem qualitatem vectore ſpiritu invadit, qui incitatus vel vi rarefactiva ſangvinis cadaveris, vel alio quodam occulto naturæ diſsidio, loco cedens foras erumpit, eo quod ſpiritus occiſoris ſanguini occiſi dicta ratione communicatus, non commodè in alieno ſubjecto exiſtens, proprium videl. occiſoris ſanguinem naturali inclinatione appetat, hic verò illum, ceu ſibi proprium ac naturalem attrahat, non ſecus ac ſupra de antidotorum magnetiſmò docuimus, repellente cadavere ſpiritum tanquam ſibi repugnantem atq; inimicum. Dum igitur occiſoris ſanguis, quod ſuum eſt appetit, occiſi autem contrarius ſpiritus, ſpiritum inimicum & hoſtilem*

hostilem repellit, fit, ut hâc spirituum contrariorum luctâ, sanguis, quorum vehiculum est, effervescens violenter foràs erumpat. Atq; hac ratione ego hanc actionem sanè prodigiosam perfici, salvo aliorum judiciô, existimo. Kircherum sequitur *Gasp. Schottus Mag. Nat. part 4. l. 5. Syntag. 2. c. 4. p. 495. seq. Ego,* inquiens, *cum hac ultimâ opinione* (scil. quæ Antipathia hunc effectum adscribit) *sentio.* Quibus etiam subscribere videtur *Job. Sophronius Kozack. lib. 5. Septim. Horolog. Microcosm.* existimans in cadavere occisi superesse spiritus fortes, servantes impetum se vindicandi diutissimè, qui accedente eo, cujus malitiâ lacessiti fuerint, effervescunt & prosiliunt, profusoq; sanguine ostendunt vindictæ indicia; id verò non fieri, si trucidantur meticulosi; Qui vi externæ non resistere, sed eam fugere malunt. Huc respexit etiam Poëta & Philosophus Epicureus *Lucretius, lib. IV.* ita canens:

-- -- -- -- -- Libido
Incitat irritans loca turgida semine multo,
Idq; petit corpus, mens unde est saucia amore.
Namq; homines plerumq; cadunt in vulnus, &
illam

Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu.
Et si cominus est, hostem ruber occupat humor.

Quo in loco Poëta elegantem vivi amantis & mortui hostis comparationem instituit, ac si diceret: Quemadmodum salax mentis libido semen in amicam effundere affectat, cujus amore irritata ac saucia fuit mens: Sic caro quoq; vulnerata rubro sanguine hostem adspergere præsentem desiderat. *Francisc. Valeriola lib. 2. observat. fol. 201.* versibus modò allegatis hæc subjicit: *Hoc carmine Lucretius non aliter vult sanguinem hominis oculorum radio affecti & vulnerati in vulnerantem prolabi, quàm hominis gladio cæsi sanguis prolabitur in cædentem: Quod & experientia sæpè docet, & id ipsum quoq; me vidisse testari plenâ fide possum.* (Historiam, quam his subjungit, vide supra in Artic. 1 §. 1.) *Cujus miraculi hæc adferri ratio potest, quod cum nondum calor omnis in recens occiso corpore extinctus sit, nec agitatio omnis, visq; interior nobis occulta quieverit: Ultionem quidem tacita illa vis clamat, moxq; ad vindictam bilis accenditur: ab eâ sanguis inflammatur, & ad vulnus confestim prorumpit patefacto ad exitum per vulnus meatu: Eodem concurrunt & spiritus, qui quoniam* leves

leves sunt, ad occidentem hominem, si coram steterit, volantes in eum migrant: Servaturq; nativo colore aliquandiu, nempè ad horas plus minus sex aut septem: Quo quidem in tempore, si qui interemit, in conspectum interempti veniat, & interemptum intentè inspiciat, vulnus cruorem versus interimentem ejicit: quod, quemadmodum diximus, nondum in cadavere recens jugulato ad horas aliquot vis omnis interior calorq; extinctus sit: Quâ quidem latente & interiori vi efficitur, ut sanguis suos spiritus repetat, atq; etiam spiritus ipsi suum attrahant sanguinem, unde ipsius manatio & effluxus consequitur. Hactenus *Valeriola*, qui his ipsis verbis obscuriusculè innuit, se facere cum iis, qui pro Antipathia pugnant. Quanquam sequentibus magis inclinare videatur in eorum sententiam, qui *Dei judicio* arcano hæmorrhagiam illam cadaverum fieri asserunt. Cæterum Antipathiam quoq; hic defendit *Joh. Magirus* Physiol. Peripat. lib. 3. cap 8. p. 224. *T. Brigthus* in animadvers. super Scribon. Phys. l. 1. §. 82. p. 44. *Jacobus Lorhardus* Theatr. Philos. Diagr. Phys. pag. 48. aliiq;.

§. IV. Nec desunt, qui ad alias confugiunt causas, quos etiam hic adducere juvat.

Campanella lib. IV. de sensu rerum & Magia, statuit nonnullas animæ reliquias in cadavere aliquandiu remanere, velut idem contingit in caudis anguillarum, in pedibus aranearum abscissis. Cui sententiæ etiam favere videtur *Petrus de Albano, & Pet. Greg. Tholos. lib. 36. Syntag. juris universi cap. 20. n. 8.* ubi inter alia hæc habet: *Refervescit*, inquiens, *occisi sanguis, & quodammodò concutitur mente occisus, adversario, qui necem intulit, præsente.*

§. V. *Cælius Rhodiginus lect. Antiquar. l. 2. c. 21. pag. 61.* intra plus minus septem horas sanguinem in Auctorem cædis prosilire putat, & aliquas sensilis animæ cupiditatis sc. & vindictæ, vires etiam post mortem in sanguine subsistere existimat. *Nempè*, inquit, *qui vulneratur ac perimitur, in assilientem dolenter convertitur, cogitatio ultionem expetit avide, ad id repentè inardescit bilis, à quâ mox succenditur sanguis, raptimq; totâ vi sese ad vulnus proripit, tum fomenti causa, tum vindictæ. Convolant spiritus insimul, qui insita levitate mox autorem circumsiliunt. Cujus calore perseverant persistuntq; aliquandiu. Quo tempore si vulnus inspiciat is cominus, promitur in eundem*

sanguis,

sanguis, tum calore necdum extincto, tum quod nec agitatio quievit interior, tum quia vel prius in illum sese concitarat. Porrò quoniam spiritus suos repetit sanguis suumq; proliciunt sanguinem Spiritus. Idem expressè etiam affirmat *Langius lib. 1. Epist. Medic. 40.* vide & *Jonston. Thaumatog. Nat. cl. 10. c. 3. a. 3. pag. 449.* qui non adeò alienam ab hac opinione mentem gerere videtur.

§. VI. *Bodinus lib. 2. Dæmon. c. 3. pag. 264.* ita hac de re differit: *Hominum interfectorum animas plerumq; instare vindicandis occisoribus, veteres affirmarunt. Sed hoc tamen homicidis omnibus non usu venire constat. Existimant nonnulli, si homo occisus sine vindictæ studio decesserit, id non accidere. Veruntamen notavit Antiquitas & Plato scripsit lib. 1. de Leg. animas eorum, qui occubuerunt, in occisores insistere. Quod Marsilius Ficinus lib. 16. de animarum immortalitatè, Lucretius & Virgilius Æneid. IV. verum esse dicunt, & infinitis judiciis probarunt judices, homicida super cadaver (etsi non attingat) transeunte, statim è vulnere manare sanguinem.* Bodinum sequitur *Kornm. loc. all. part. 9. c. 23.* ubi ita: *Ejus emissionis sanguinis quidam nullam rationem admittunt, sed malè,*

cum enim anima lateat in sanguine Gen. 4. Vox sanguinis Fratris tui clamat ad me de terrâ &c. illaq́ invita discedat à corpore, ob desiderium, quod tenet erga illud, circumerrat illud, & se corpori insinuare tentat, & Augustinus dicit, animabus jam beatis in cœlo Deum videntibus inesse quendam naturalem appetitum administrandi corpus, quo retardantur, ne totaliter ferantur in Deum. Crederem igitur animam, si adsit Autor necis, corpus iterum intrare & movere, vi ad vitam, cum deficiant & languida sint membra, saltem ad vindictam occisoris &c. Eidem sententiæ patrocinatur quoq́; *Ponaciolus* de format. fœt. p. 237. seq. & *Paracelsus* teste *Libavio* l. a. p. 137.

§. VII. *Cornelius Gemma lib.* 1. *Cosmocrit. c. 6.* ait, quod interfectoris imago, extincto cadavere, ad tertium usq́; diem velut in concreto sanguine latuerit, cum eodem semel præsente residuus ille spiritus propter ideas inhærentes in percussorem obvium concitetur; nec prius stillicidium sanguinis è cadavere supprimatur, quàm occisor longè sit remotus.

§. VIII. *Majolus* causam αἱματοδείξεως hujus in *aëris attractione & spirituum infectione*

one

one quærit. Sic enim in *diebus Canic. Tom.* 1. *pag.* 18. ait : *Licet cadaver ſit ſpiritu omni deſtitutum, neq; ſentiat quidquam, horrore tamen tunc concutitur tranſeunte occiſore, qui Spiritus ibi in vulnere ſunt quadantenus infecti à Spiritibus interficientis, quo tranſeunte usq; ad ipſum vulnus aër infectus trahitur, quo intercepto ſanguis ebullit, propter infectionis conformitatem, tam in vulnere manentem, quàm ab interfectore manantem.*

§. IX. *Watſonius in ſynopſ. totius Philoſ. p.* 359. ſequentia habet : *Satis fecerunt huic quæſtioni, quos Camerarius citat Autores ; Certum quod nec plerumq;, neq; neceſſariò fiat; Quando verò evenit, conſtitutio corporis, tum occiſi, tum occiſoris talem mutationem cauſatur, metus aliiq; affectus homicidiæ, artus ejus alterant, cumq; nudato, languido & mortuo corpori imponuntur manus trementis, poterunt ſanguinem refrigerare, commovere & educere.*

§. X. *Neovaldus in Exeg. purgat. Sag. p.* 24. cenſet, hoc ſanguinis profluvium, ſuperſtitioſum & Diabolicum quid ſapere, cujus ſuſpicionem ipſi auget, quod in locis quibusdam membrum reſecent, arefaciant, & fumo indurent, quod in præſentia occiſoris ſan-

guinem adhuc effundere ſanctè affirmant. Quem ritum inde procul transtulere, quod antiquitus digitus mortuo abſcindebatur: factitatum augendo luctui, ut ait. Erat nempè, qui ante ἐκφορὰν mortuo digitum præcideret, ad quem ſervatum juſta fierent, poſtmodum, quoties luctum vellet reſtaurare. Feſtus: membrum abſcindi mortuo dicebatur, cum digitus ei decidebatur, ad quem ſervatum juſta fierent reliquô corpore combuſto. vid. *Paracelſ.* in fragm. lib. Philoſ. de ſanguine ultra mortem. & *Kornmann.* l. a.

§. XI. *Libavius Tr. de cruent. cadav.* cauſam ſtillicidii hujus refert partim ad *naturalem ſanguinis aptitudinem*, qua de ita §. 118. *Dicimus natura ineſſe cadaveri vim quandam ſeu potentiam, quâ valeat, præſente ſeu amico ſeu inimico, circa ſpiritus & ſanguinem movere, tunc potiſſimum, cùm anteceſſit in homine vivo motus talis actu, niſi impediatur.* Et §. 130. *Dicimus, qui motus ante mortem vehementiſſimo in affectu fuit in corpore, ejus vim & potentiam tam citò extinctam non eſſe, ſed adhuc in actum proclivem, datâ occaſione moveri ſimiliter.* Partim ad *ipſius occiſoris imaginationem,*

qui

qui ita conſcio ſibi ſcelere, terreatur, ut ſpiritus ab eo egrediantur ad interfectum, & ex eo vapores quosdam unà educant: De hâc ita §. 187. *Eſt aliquid in Percuſſore, quod motivum & provocativum ſit ſanguinis, illud eſt aut quà eſt præſens: aut quà eſt percuſſor: aut quà magicâ commotione excitatur ſanguis: aut quà ſpiritus quosdam tum ex perſpirabili corpore more ſolito emittit, tum quà animus conſcius agitatus longè uberiori vi halitus ad corpus motum expellit. Ratio quâ præſens eſt, aut quà eſt percuſſor, per ſe nihil habet virium, ſed tantum ex accidente. Nam ita ſignarentur omnes, etiam qui lege interemerint; & ſive homo ſive aliud animal eſſet interemptum. Magiam, ut ante in genere, ita hîc in ſpecie rejicimus. Etſi enim Diabolus poſſit procurare affluxum, in gratiam Magorum; vanus tamen eſt prætextus, de quo ante. Accipimus ergo rationem, quæ ex ſpiritibus ſeu halitibus interempti petitur, eamq; dicimus eſſe cauſam moti ſanguinis in percuſſo, niſi quid impediat. Procedunt autem iſti promptius in aëre libero, purô, calido, non alterato aromatibus, & aliis grave olentibus: & ſi acceſſerit fortis animi motus, & imaginatio percuſſoris &c.* Atq; hanc *Libavij* ſententiam *Arabes* etiam

etiam, ut *Avicenna* aliiq; apud *Weinrichium*, *cap. XVII. de Ort. Monstr. p. 167.* ex parte amplectuntur, dum hæmorrhagiam illam phantasiæ attribuunt; Supponunt autem imaginationem admodum esse efficacem, ut non modò in id corpus, in quo est anima, multum juris habeat, sed externam quoq; materiam movere, immutare, alterare, absq; actione quapiam per medium, possit, sine organo corporeo. Id quod confirmant ex eo (1) *quia* nonnulli solo attactu ægrotorum incurabiles morbos sine remedio aliquo sustulerint. (2) *quia* sæpè serpentes unum in locum per imaginationem cogantur. (3) *quia* interfector etiam ex cadavere occisi sanguinem eliciat. *Admiserit*, inquit Weinrichius, *præterea Latro in viâ homicidium, cadaver autori intuendum sit propositum, sanguis è cadavere effluit. Unde hoc? nisi quod Spiritus interfectoris fixè intuentis & considerantis à se inflictum vulnus cadaver ejusq; reliquos Spiritus commovent sanguinemq; eliciunt.*

§. XII. *Valeriola*, etsi loco supra allegato, causas hujus rei afferat naturales, posteà tamen subjungit, quod magis *Dei judicio arcano*, maleficum hominem tali signo notaq;

pecu-

peculiari ac propria designare & prodere volenti, id fieri censendum sit. Quod ipsum etiam *Matth. Tympius Mensâ Theol. Philos. p.* 191. sentit: *Occulta*, inquiens, *Dei potestate res à Legibus naturæ tam aliena sit, partim ut, quanti sanguinis vinculum sit faciendum, intelligamus; partim ut homicidii auctores hoc modo prodantur.* Immò ipse *Philippus Melanchton l.1. Phys. fol.* 44. pro confirmanda providentia divina hoc ipsum adducit his verbis: *Admiranda signa interfectorum corporibus divinitùs addita sunt, quæ monstrant autores cædis: nam corpora mortua stillant cruorem, cum ad ea accedit autor cædis.*

§. XIII. *Greg. Horst. Tr. de cruent. cadav. pag.* 44. causam hujus fluxus tribuit partim sanguinis commotioni. *Non mirum*, inquit, *quòd corpus aliquod sanguineum violenter cum vindictâ mortuum & occisum ejusmodi commotionem* (scil. quæ paulò ante mortem præcessit) *humorum adhuc patiatur, & per dies quosdam sanguinem per vulnus emittat: Ea enim natura est sanguinis in venis existentis, ut reliquias quasdam caloris & spirituum in sese retineat, per quas commovetur ad tempus eô motu, qui paulò ante mortem anima adhuc præsente*

eidem

eidem fuit impressus. Partim sanguinis per septimanas aliquot conservationi. *Nullus enim*, ait, pag. 47. *nisi Physicarum rerum ignarus negabit hoc, quod venæ, quæ sunt vasa sanguinis, peculiarem vim habeant in sanguine conservando, quam ob causam sanguis, quamdiu est in venis, tamdiu etiam naturam atq; consistentiam suam retinet, & fluxilis manet: ubi venas exit præter naturam, tam in vivo, quàm in mortuo corpore, statim in grumos concrescit.* Partim venarum putrefactioni. *Ex his* (pergit) sc. quæ de corruptione partium humani corporis attulerat p. 48. *facillimè concludimus, venas præ aliis partibus diutissimè à putredine conservari, quapropter in sanguine continendo suum officium ad tempus præstare possunt: ubi verò tandem & his putrefactio dominatur, tunc sanguinem non amplius continent, sed eundem emittunt, qui ob sui gravitatem primos quosque meatus atq; cavitates occupat, donec tandem ita fluidus exeat.* Atq; hoc ipsum contingere dicit sive absente sive præsente homicidâ. Hinc meritò ipsi jungendus *B. Sperlingius*, utpote qui in eandem descendit sententiam. Ita enim hic *Instit. Phys. l. 2. c. 3. q. 1. p. 299. Experientia*, inquit, *de sanguine occisi ad præsenti-*

sentiam homicidæ fallax est. Nec enim semper sanguine stillat cadaver: nec quoties stillat, toties homicida adstat. In venis cadaveris aliquot dies & septimanas reservatur nonnunquam sanguis. Hinc vel levi facta commotione ad corporis ruit habitum, ac per nares aliasq; vias patentes elabitur. Sive adsit sive absit homicida. Idem scribit *D. Ziegra,* Phys.P.P.Wittebergensis, Disp. de Sympathia Anno 63. habita §. LVIII. *Experientia,* inquiens, *de sanguine stillante occisi ad præsentiam occisoris, omni caret fundamento. Libavius in Tr. de cruentat. cadav. haud dissimulanter profitetur hanc sententiam, quod nimirum fundamentum tacitæ hujus Antipathiæ partim in vi & potentia esset &c. Et paulò post: Omniscio quidem Deo nil occultum latitare potest. Noti omninò oculis Dei sunt tales interfectores, nec dubitandum erit, quod vindex & ultor justissimus Deus interdum animæ vindictam provocanti extraordinariè satisfaciat & ad pœnam corporalem in hoc mundo sistat tales aliis in horrorem. Sed ab hoc non infallibile desumendum statim est documentum. Gratum alias & acceptum Diabolo esset illudere & fallere judices, ut innocentes trucidarentur. Præsentibus etiam Amicis stillant facili quadam*

com-

commotione facta cadavera. Sanguis ergò commotus & excitatus, juxta Libavium tantam vim non habet, ut aperiat inimicum, quia separatâ animâ, nullum amplius principium movens, vel facultas animæ adest, quæ sentiat adstantem. Nec aliter jam olim docuit *B. Jacob Martin.* in Disp. de cognitione sui, Anno 1610. Witt. habita prob. 8. his verbis: *Nos huic rei nihil certi subesse, immò nihil omninò tribuendum statuimus. Contingere quidem non diffitemur, ut vel ex naribus vel ex vulnere occisi sanguis profluat: Verum id non tantum accidere putamus præsente reo & in violenter occisi cadavere: Sed quibuscunq; præsentibus, nec non in cujusvis morbo aliquo extincti corpore: & quidem tum, quando interioris cadaveris partes & humores putrescere incipiunt.* Atq; his etiam nos accedimus, statuentes, experientiam istam de sanguine stillante occisi præcisè ad præsentiam occisoris omni carere fundamento, de quo in subsequentibus plura.

SECTIO

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Statum Controversiæ sistens.

ARTICULUS I.

Explicans Nominalia.

§. I.

UT eò felicius atq; facilius progredi possimus tum in veritate adstruendâ, tum in falsitate destruendâ, nonnulla circa *statum controversiæ* hîc observabimus. Et primum quidem *nomina*, rerum involucra, evolvemus. Nam frangat nucem, necesse est, qui nucleo vult frui.

§. II. Quod itaq; attinet ad vocabulum, *Stillicidium*, dicitur illud, quasi *stilla cadens*, & est *actus stillæ cadentis*. *Stilla* autem est *gutta*, quæ *cadit*, dum *stat* vel *pendet* quasi *glutinosa*, dicitur *gutta*. Sumimus verò h. l. *stillicidium* non pro *inferiore tecti parte*, è quâ stillæ decidunt, Germ. ein Trauff; Sed pro *ipsa destillatione* & *fluxu*; Et hoc quidem sensu non usurpamus illud *strictè*, pro *guttis* solùm *cadentibus*; Sed *latè* pro *quocunq;* liquidi rubicundi *fluxu*, sive *stillatim* sive *copiosè* promanet.

§. III. Deinde vox *Sanguis* non uno quoque modo sumitur: Usurpatur enim (1) *Physicè* & quidem vel *propriè*, vel *impropriè*. *Propriè* supponitur iterum vel *generaliter*, pro humore calido, temperato, dulci, rubicundo, in venis Mesaraicis præparato, & in Epate ex partibus chyli temperatioribus, pinguioribus & aëreis confecto; vel *specialiter* pro sincero illo & puro sanguine, qui aliàs vehiculum vitæ salutatur. *Impropriè* accipi solet pro *cruore*, seu sanguine concreto. (2) *Rhetoricè*, atq; hoc sensu adhibetur, vel per *Metaphoram*, quando supponitur *aut* pro *humore*, qui *sanguini colore similis*, quomodo dicitur *sanguis uvarum*, *aut* pro *humore non rubro*, qui *per stirpes diffusus* eas, *ceu sanguis animalia* nutrit: Vel per *Metonymiam* tum *Subjecti pro Adjuncto*, uti *vita* dicitur *sanguis*, quia eam continet, ceu vehiculum vitalis spiritus; Tum *causæ pro Effecto*, quomodo *vis* & *vigor*, qui est à sanguine, *sanguis* nuncupatur: tum *Signi pro Signato*, quando ipsum *homicidium* per *sanguinem* indigitare solemus, tum *Consequentis pro Antecedente*, pro *pœna*, profusum sanguinem consequente: Vel per *Synecdochen*, sic *sanguis*, *pars* hominis,

nis, quandoq; sumitur pro *toto* homine. (3) *Politicè*, pro *consanguineis*. (4) *Theologicè* pro *irregenito, carnali* &c. De quâ acceptione consulantur Dn. D. *Theologi.* Nos hoc loco modo *Physicè*, licet non *specialiter*, tamen *generaliter* & *concretè*, pro *sanguine verò* & *cruore*; modò *Rhetoricè* per *Metaphoram*, pro *humore* aliquo *rubicundo* supponimus.

§. IV. *Cadaver* verò, dicitur à *cadendo*, ab eo, quod post mortem *ceciderit*, & aliàs quidem *corpus exanime* & *exsangve* vocatur; sed notandum, quod illud non *omni* prorsus *sanguine* semper sit destitutum, præsertim si *recens* adhuc existat, & *cum vindictâ violenter* ceciderit. Nam uti *Medicorum* Scholæ docent, *calor nativus* non statim extinguitur, sed ille tantum, qui *à corde influit.* Quamdiu igitur *calor* adhuc inest venis, tamdiu etiam *sanguis cadaveri* inesse dicitur. Quod si verò *diu* jacuerit, non tam *sanguis*, quàm *cruor*, vel *rubicundus aliquis humor* effluere perhibetur. Adeoq; τὸ *Cadaver* h. l. non supponimus *strictè* pro Corpore *penitus exsangvi*; sed *latè* pro corpore, *violenter* quidem *exanimato*, sed nonnullis tamen *sangvinis reliquiis* adhuc præditô.

§. V. Porrò vox *Homo* hic non ſignat *impropriè*, *picturam*, vel *imaginem* hominis, aut aliud quid; ſed *propriè* denotat *animal rationale*, ex animâ rationali & corpore organico conſtans. Ubi tamen non accipienda eſt *in ſtatu*, pro eo, qui *jam eſt* verus homo; ſed *in ampliatione*, pro eo, qui anteà *fuit* verus homo, jam verò talis eſſe deſiit.

§. VI. Cæterùm cum & in ſequentibus mentio *Antipathiæ*, *Sympathiæ* atq; *Spirituum* ſæpius facienda ſit, operæ quoq; pretium, illorum verborum hic annotare ambiguitates. Et quidem quod ad *Antipathiam* attinet, tenendum, quod vocabulum hoc à nobis non accipiatur *Ethicè*, quatenus ſignificat *odium*, *affectum Ethicum*, vel vitium morale culpabile. Hæc enim notatio nominis, plus juſto ſtrictior eſt, quàm ut præſenti inſerviat ſcopo; ſed *Phyſicè*, quatenus ex *naturali & intrinſeco principio* fluit, *corporibus naturalibus* competit, & *præcisè Affectum Ethicum* non dicit, ſed *diſſenſum corporum naturalium*, ex *qualitatum diſſimilitudine* ortum, indigitat.

§. VII. Sic etiam *Sympathia* h. l. non denotat *generaliter*, amorem *quemcunq;* ex *quolibet*

libet principio in subjecto ortum, quomodò homo amat canem, venator bestias &c. neq; *moraliter* amorem *Ethicum*, qui consistit in *mutua & manifesta inter aliquos benevolentia, vel virtutis, vel voluptatis, vel utilitatis causâ, ejus ipsius gratia, qui amatur, concepta.* Sic Sympathia est inter Damonem & Pythiam; Sed *naturaliter*, suasissimum *corporum naturalium consensum*, ex *naturali & intrinseco principio, qualitatum* videl. *similitudine* ortum, qualis est inter magnetem & ferrum.

§ VIII. Tandem & vocabulum *SPIRITUS* ab æquivocatione, cui substratum est, liberandum. Sumitur enim (1) in sensu *Metaphysico*, pro substantia immateriali; (2) in sensu *Chymico*, pro purioribus corporum formis, per destillationem extractis; (3) in sensu *Platonico*, pro mediâ quadam naturâ inter animam & corpus, dissimiliter illas naturas uniente. vid. *Klotzii* Pnevm. disp. 2. p. 38. (4) in sensu *Physico*, pro corpore subtili ac tenui. Sic dantur *Spiritus animales*, *vitales*, *naturales*. Atq; hæc ultima significatio est h. l.

ARTICULUS II.

Exponens Realia.

§. I. Enucleatis *nominibus*, ad *rem* ipſam pergimus, & in primò ſtatim limine *diſtinguimus* inter *cadavera hominum morbô naturali extinctorum*; & inter *cadavera hominum violentâ morte peremptorum*. Non de *illis*, ſed *his* impræſentiarum agimus.

§. II. D. inter *cadaver hominis recens interfecti*; & inter *corpus jamdiu exanimatum atq; corruptioni proximum*. De *utroque* quærimus.

§. III. *Diſtinguunt* Adverſarii inter *occiſorem per ſe & per Accidens* talem. Dicunt, ſe non loqui de *homicidâ fortuito*; ſed qui *præmeditatò*, ex odio, vindictæ cupiditate, & ſimilibus cauſis hominem interemit. Nos dicimus, ſanguinem effluere poſſe tum *hoc*, tum *illô*, tum *neutro* præſente.

§. IV. *Diſtingvunt* iidem inter *cadaver hominis publicâ Magiſtratûs autoritate à Carnifice, vel aliis occiſi*; & inter *cadaver hominis privatâ vindicta à privatis perſonis interemti*. Non *illo*, ſed *hoc* modo cadaver conſiderant. Sed

nos *utriusq;* respectu *cadaver sanguine stillare posse*, asserimus.

§. V. *Distingvunt* porrò quoq; inter *hominem à Magistratu interfectum justè*; & *injustè*. Non *illum*, sed *hunc* emittere sanguinem ajunt. Verùm præter omnem rem.

§. VI. *Dist.* nos inter *cadaver*, & inter *corpus vulneratum adhuc vivum*. Non de *hoc* sed *illo* nobis est sermo, Nam quà *hoc*, non negamus, quod *præsentia percussoris* possit *sanguinis fluxum* commovere. Cum enim illa *vulnerato*, *vindictæ cupido*, non possit non *ingrata* accidere, idcircò non mirum est, quod *humores* & *spiritus* per *imaginationem* illam atq; *iram* commoveantur, & *sanguis in vulnus* irruat, cùm aliàs in *irato foras* effundatur *calor*, & *pulsuum* maximus & vehementissimus *motus* subsequatur. Adde, quòd illa *pars* citiùs affluxum humorum recipiat, quæ *debilior* est, quam ob causam fieri potest, ut *maximo cum impetu* sanguis è vulnere proruat, *præsente percussore*, *tum* quod hac ratione per *iram* commoveatur, & quasi pro defensione ad exteriora prorumpat; *Tum* quod *pars* vulnerata sit *debilior*, & sanguini irruenti re-

 sistere

ſiſtere nequeat. Vid. *Horſt.* in Diaſc. pag. 38. *Fracaſtor.* l. de Sympath. cap. 21.

§. VII. D. inter *ſtillicidium continuum* & *interruptum.* *Utrumq;* adſcribimus cadaveri interemti hominis, licet non *omni*, ſed *cuidam.*

§. VIII. D. inter *continuum abſolutè*, quod perpetuò durat; & *reſpective*, in reſpectu ad interruptum. Non *illo*, ſed *hoc* modo quoddam *ſtillicidium* appellamus *continuum.*

§. IX. D. inter *ſtillicidium actuale*, & *potentiale*: ſive inter *ſtillare actu*, & *ſtillare poſſe.* Utut cadaver non *ſemper actu* emittat ſanguinem, *poteſt* tamen *nonnunquam* eundem effundere.

§. X. D. inter *fluxum, qui mortem ſequitur immediatè*; & qui *mediatè.* Non *illum*, ſed *hunc* attendimus.

§. XI. D. inter *conditionem merè accidentariam*, quæ effectum neq; ponit, neq; tollit; & *neceſſariam*, ſine quâ effectus obtineri nequit. Aliàs vocatur *conditio ſine quâ non.* Nos quando diſputamus de *ſtillicidio ſanguinis ex interemti hominis cadavere, præſente occiſore*, tunc τὸ *præſente occiſore*, non *hoc* ſed *illo* modo intellectum volumus. Id quod obſervan-

ſervandum contra *Non-neminem*, quem poſteà allegabimus, qui in Diſputatione ſuâ de eadem materia, Lipſiæ habita, *præſentiam* illam *occiſoris*, *conditionem ſine quâ non* αἱματοδείξεως cadaverum eſſe, temerè aſſeruit. Nam ſine quocunq; effluxus ſanguinis ex cadavere occiſi fieri poteſt, illud non eſt *conditio ſine quâ non* iſtius effluxus: Atqui ſine *præſentia occiſoris* effluxus ſanguinis è cadavere occiſi fieri poteſt: Ergò. *Major* ex Definitione conſtat. Deſcribitur enim *conditio ſine quâ non*, quod ſit ea, *ſine quâ effectus fieri non poteſt*. *Minorem* confirmat experientia, cui contradicere nefas.

§. XII. *Diſt.* inter *cadavera omni omninò calore deſtituta*; & *aliquibus caloris reliquiis adhuc prædita*. Non tam *illa*, quam *hæc* intelligimus. Etſi enim *mors* in *momento* propriè loquendo fiat, ut ita protinus in *inſtanti* anima à corpore ſeparetur: Non tamen ſequitur, quod etiam *calor* in eo ipſo *momento ſtatim* penitus pereat, quia hic partibus inhæret, iiſdemq; ex primò ſeminis calore ingenitus eſſe videtur.

§. XIII. D. inter *calorem nativum*, & *elementarem*. Et *hunc* & *iſtum* ſuo modo *ad tempus* cadaveri occiſi tribuimus.

§. XIV

§. XIV. D. inter *calorem nativum influentem*, qui secundum nonnullos, in corde, tanquam vitæ principio, residet, ex eóq; omnibus reliquis partibus humani corporis vitæ sustentandi causa communicatur; & *insitum*, qui à prima generatione cuilibet parti implantatus est, & per illum influentem conservatur. *Ille* per mortem animalis extinguitur; tunc enim animal moritur, quando principium vitæ, cor sc., in communicando vitali spiritu & calore deficit; *Hic* verò scil., *insitus calor*, non statim penitus interit; sed sensim, pabulo & conservatione destitutus, ad interitum tendit.

§. XV. D. inter *calorem ipsum*, & *caloris sensum*. *Sensus* quidem *caloris* non *semper* adest, sed exinde tamen *calor ipse*, non statim est negandus. Quis enim negat, *plantis* inesse *calorem nativum?* quomodò enim aliàs *crescerent, augerentur, nutrirentur*? at nullus nostrum *actualem* quandam *caliditatem* in *plantis tactu* deprehendere potest. Accedit, quod *calor* ille, quem *actu* sentimus in partibus nostri corporis, non tam sit *insitus & innatus* calor, quàm *influens*, qui partibus à corde transmittitur. Videmus enim, quod hyber-

hybernô tempore ſæpius *partes* quædam *externæ* propter vehementiam frigoris, *actu frigidæ* deprehendantur, non quòd *inſitò calore* deſtituantur (quomodò enim aliàs viverent?) ſed quod *influens* ab externâ injuriâ ad principium ſuum repellatur.

§. XVI. D. inter *qualitates Occultas ſpectatas in ſe & ſuâ naturâ*; & in *applicatione ad præſentem controverſiam. Hòc*, non *illò* ſenſu eas negamus.

§. XVII. D. inter *animi perturbationem ſpirituumq; concitationem*; & inter *veræ Antipathiæ conſtitutionem*. Per *objectum inimicum*, *imaginatione conceptum*, non ſtatim *qualitas Antipathiæ* imprimitur corpori; ſed *animi* quædam *perturbatio* ſequitur, ad quam contenta diverſimodè in vivente corpore moventur.

§. XIIX. D. inter *hoſtes*, quatenus ſunt *homines*, vel *corpora naturalia*; & quatenus *unus alterum* odit, & illatæ injuriæ vindictam expetit. Non *illô*, ſed *hoc* modô inter hoſtes pugna eſt.

§. XIX. Diſt. inter *caſus naturales*, & *ſupernaturales*: Non de *his*, ſed *illis* nos diſputamus.

SECTIO

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Veram sententiam confirmans.

ADSERTIO:

Cadaver hominis violenter occisi, naturaliter sanguine stillare potest, præsente, vel absente interfectore.

MEMBRUM I. EXPLICATORIUM.

DIcimus (1) *cadaver*: ut removeamus *corpus vulneratum* adhuc *vivum*. Intelligimus verò *cadaver sanguineum*, non *exsangue* (2) *Hominis*: non in *statu*, sed in *ampliatione*, sumto vocabulo (3) *Violenter*: hinc excludimus *naturalem* mortem (4) *occisi*: non tantùm *vulnerati*. (5) *naturaliter*: non quidem *necessariò*, sed *contingenter* (6) *sanguine*: Non *semper* quidem *vero* ac *propriè* dicto, interim *analogico*. (7) *stillare*: non *rigorosè*, sed in *sensu laxiori* accepto verbo: & quidem vel *continuò*, vel per *intervalla*: Idq; si vulnus *nondum planè* coaluerit, & *sol æstu* suo vel aliud calidum *saniem dissolvat*; aut si *venæ* sanguinem fluxilem servent, & tandem *putrefactæ* e-

cta eundem emittant, qui ob sui *gravitatem* primos quosq; meatus atq; cavitates occupat, donec tandem ita fluidus exeat. (8) *Potest*: utut *actu* non semper stillet (9) *Præsente* vel *absente interfectore*; id est, *quocunq;* præsente, etiam *nemine*.

MEMBRUM II. CONFIRMATORIUM.

§. I. Confirmamus verò assertionem nostram (1) ex *ratione*: Ubicunq; sunt *causæ cruentationis naturales*, ibi *naturaliter* quoq; sanguis effluere potest, *præsente vel non præsente occisore*. Atqui in *quodam cadavere hominis violenter occisi* sunt *causæ cruentationis naturales*. Ergò. *Major* patet, quia *positis causis in actu causandi, ponitur effectus*. *Minor* lucem suam è causarum enumeratione accipiet. Sunt enim *causæ* hujus *stillicidii* (1) *Sanguinis & calidorum spirituum in venis cadaveris reservatio*. Nemini enim nisi vel planè hospes aut infans in Physicis sit, obscurum esse potest, *venas*, quæ sunt *vasa sanguinis*, peculiarem habere virtutem in eo conservando. Hinc etiam *sanguis*, quamdiu *in venis* est, tamdiu etiam *fluxilis* manet. Ubi verò *è venis* exit,

nis exit, ſive in vivo ſive in mortuo corpore, ſtatim *in grumos* concreſcit, idq́; propterea, quia tum *calor expirat*, qui in *violenter occiſo* corpore aliquot dies atq́; ſeptimanas remanere poteſt, uti dictum. (2) *Venarum putrefactio.* Neq́; enim *omnia* membra *eodem tempore* putreſcunt, quia non *omnium eadem natura* eſt, propterea quod *humanum corpus* penitus *diſſimilare & organicum*, hoc eſt, ex partibus diverſæ naturæ compoſitum ſit. Jam verò notum eſt, quod *membra humidiora* & *calida* præ cæteris *facilius putreſcant*, unde ſequitur, quod reliqua ad *frigiditatem* & *ſiccitatem* inclinantia (quibus etiam *venæ* annumerandæ ſunt) non ita *putredini* ſint obnoxia. Quando verò demum & his putrefactio dominatur, tunc ſanguinem, ſi quem continent, non amplius retinere poſſunt, ſed eundem emittunt. Effluit ergò ille per *vias quaſcunq́; patentes.* (3) *Vulneris aliorumq́; meatuum apertio.* Quod ſi enim *viæ* vel *cruore*, vel *ſanie*, vel *aliâ* quâpiam *materia obſtructæ* ſint, tunc *ſanguinem* elabi non poſſe, cuilibet manifeſtum eſt. (4) *Calidarum expirationum operatio.* Quis enim negabit, quod *externi aëris conſtitutio calida* fluxum ſanguinis promove-

movere, *frigida* contra impedire queat, utpote cùm *omne calidum aperiat* rarefaciendo, *frigidum* verò corpus *recludat* constringendo. Ejusmodi verò halitus atq; *effluvia calida* excitantur vel *à virtute solis calorificâ*, extrahente atomos igneas è globo terreno, illasque in aërem elevante; vel *ab igne ipso conjuncto*, in fornace existente, qui multa de se spargit minima, hypocaustum calefacientia; vel *à maximâ hominum in ejusmodi spectaculis concurrentium frequentia*, ut adeò mirum non sit, sæpius tum demum exoriri hanc hæmorrhagiam, quando adducitur is, qui interfecisse perhibetur, non quidem propterea, quod interfector sit præsens, sed quia propter hominum frequentiam calidiores exhalationes ad aperiendos corporis meatus & humorum fluxiones citandas plurimum inserviunt. (5) *Cadaveris commotio*, quæ vel *externa*, vel *interna*. *Interna* est sanguinis in venis existentis, qui nonnunquam reliquias quasdam caloris & spirituum in se retinet, per quas commovetur ad tempus eò motu, qui paulò ante mortem, anima adhuc præsente, eidem fuit impressus. *Externa* est ea, quando vel à *circumstantibus adspectatoribus*, vel ab

vel ab *attingente Persona*, vel ab *alio principio externo* corpus commovetur, quâ commotione vel leviter factâ, sanguis ad corporis ruit habitum, ac per nares aliasq; vias patentes elabitur.

§. II. (2) *Exemplis.* Quicquid *exempla* testantur, id negandum non est: Atqui *cadavera hominum violenter occisorum, nonnunquam naturaliter sanguine stillare, præsente, vel non præsente occisore*, testantur *Exempla*; Ergò. *Minor* tum ex Sect. 1. art. 1. tum ex sequentibus constat. Anno 1544. *Studiosus* quidam inter opidum Dieben & Lipsiam fuit interfectus, cujus cadaver in aquam est projectum, ubi totas quatuor septimanas congelatum jacuit. Postea verò in eodem loco inventum & erutum ex glacie, in proximum opidum deportatum est. Quod, ubi judex cum civibus adstantibus inspexisset, cœpit recentem stillare sanguinem cadaver, nec *amico*, nec *inimico* præsente. *Manlius in Collect. LL. CC. p. 307.* Simile exemplum narrat *Greg. Horst. l. d. p. 46.* de *infante* aliquo, à scelerata matre statim post ortum occiso, & ex arce Generosi cujusdam Baronis Superioris Austriæ, in fossam, aqua repletam, injecto.

Hic e-

Hic enim cum post quinq; demum septimanas fortè fortuna repertus atq; exemtus esset, non *præsente Matre*, tum temporis adhuc incerta, admodum recenti sanguine stillare cœpit. *Habuimus etiam*, inquit idem in Epist. Medic. sect. 9. p. 432. *exemplum non ita pridem hic in vicinia in infante, per Matrem ancillam occiso atq; in fossam, arci nobilis cujusdam vicinam, per locum secretum hyemali tempore projecto, qui per Prætorem loci tandem post septimanas duas observatus atq; exemptus, recenti sanguine stillare cœpit copiosissimè, non quod Mater præsens fuerit, (quæ incognita adhuc alibi, morbum simulans, decumbebat); sed potius quod ambientis caliditate pori cutis aperirentur, & sanguis interior turgens à centro ad circumferentiam moveretur.* Et quis omnia hanc in rem facientia exempla enumerare posset? Quanquam non omnia literis sint annotata, sed ea potius, quæ signarunt homicidam; id tamen ad superioris seculi cacoëthen est referendum, certum ex eo facto præsentis interfectoris indicium depromentis.

§. III. Atq; huic nostræ sententiæ, præter Auctores Sect. 1. allegatos adstipulantur quoq; *Physici* illi quondam celeberrimi; *B.*

SPERLINGIUS & *HORSTIUS*, quorum auctoritatem reiq; ipsius veritatem à variis *Nonneminis* exceptiunculis vindicare animo jam constituimus. Sit ergò

MEMBRUM III. VINDICATORIUM.

§. I. Prodiit non ita pridem in *Academia Lipsiensi* dissertatio Historico-Physica, de *fluxu sanguinis è corpore occisi ad præsentiam occisoris*, Auctore *M. Joh. Pfauzio*, Ulmensi. Quam dum perlegimus, multa quidem, quæ limam merebantur, deprehendimus; Sed ea tamen pleraq; intacta jam relinquemus, ea solùm examinaturi, quæ nostram sententiam ejusque defensores *B. Sperl.* & *Horst.* petunt, hâc tamen lege, ut omnem *cavillandi libidinem* seponamus, omniaq; in *solius veritatis amorem* suscipiamus. Id quod etiam *Dn. Adversarium* in respondendo præstiturum esse, confidimus.

§. II. Primùm ad verba *Sperlingii* sese convertit, quarum sententia hæc est: ***In venis cadaveris aliquot dies & septimanas nonnunquam reservatur sanguis. Hinc vel levi facta commotione ad corporis ruit habitum, ac per nares***

res aliasq; vias patentes, elabitur. Sive adsit sive absit homicida. Ad hæc ita respondet: *utut concedamus, in cadaveribus tamdiu conservari sanguinem, concedamus etiam, levi motu sanguinem expelli posse, sive absente, sive præsente homicidâ: Negamus tamen hoc in his exemplis* (quorum ingentem satis acervum produxit) *ita contigisse; ex levi enim motu non cum magno fervore & bullis cieri potest, quod in primo exemplo* (Jacobi ab Aqueria, quod videsis in Section. primæ art. 1. §. 1.) *factum &c.* Nos Resp. (1) committitur *fallacia ignorationis Elenchi.* Nam *B. Sperlingius* ita quidem ratiocinatur; verum ejus sententia restricta est ad *casus* tantùm *naturales.* De *supernaturalibus* verò quærere, suum non esse putavit. (2) Committitur etiam *fallacia divisionis,* dum dividit Dn. Auctor *B Sperlingii* verba, eaq; mutilatè allegat, omissa voculâ *NON-NUNQVAM,* quæ tn. hic utramq; facere paginam videtur. (3) Committitur *Fallaciæ petitionis principii*: nam incertum, quid? prorsus falsum est, ex *levi motu* sanguinem cum *magno fervore* cieri non posse. Cum enim pars *vulnerata* in cadavere semper sit *debilior,* ita, ut irruenti sanguini resistere nequeat,

facilè fieri poteſt, ut vel *levi* factâ *commotione* ſanguis eò miſſus affatim erumpat; præſertim ſi vulnus nondum coaluerit, corpusq; aliàs *copioſo ſanguine* præditum ſit. Accedit, quod ea ſit natura *ſanguinis in venis exiſtentis*, ut *reliquias* quasdam *caloris* in ſe retineat, per quas *ad tempus* commovetur & in conſiſtentia atq; fluiditate ſua retinetur.

§. III. Deinde opponit CL. *Auctor* exemplum cujusdam Aulici apud Chriſtiernum II. Daniæ Regem, qui tempore veſpertino, luminaribus extinctis, ſtricto pugione eſt interemtus in conclavi, in quo tunc temporis præter Regium curſorem 11. aut 12. Nobiles erant. Cum autem de cædis autore non conſtaret, ac Nobiles culpam in curſorem conferrent, Rex omnes in conclavi dicto congregatos cuſtodiæ tradi, ac ſingulos manum dextram nudo interfecti pectori admovere, atq; jurato purgare coëgit, quod extra culpam patratæ cædis eſſent conſtituti. Id cùm à Nobilibus fieret, corpus occiſi nullum ſignum cruoris emanantis dedit. Accedens Curſor mortui pedes primum oſculatus eſt, deinde manu ad defuncti pectus applicata, ſanguis tam ex vulnere quàm ex naribus

ribus magna copia erupit, necisq; autorem ostendit. Huic aliud superaddit exemplum *Militis* cujusdam *Etisvveila* apud *Lucernates*, nomine *Joh.* Spieß/ qui uxorem pulvinari suffocaverat. Adductus verò ad cadaver, 20. die post mortem effossum, Mulier sudare cœpit. Propius accedens, juraturus se insontem esse, sanguis è cadavere per ferετrum destillavit. *Quæ verò*, inquit, *illius sudoris causa? num levis facta commotio? an sudor etiam remanet in corpore? annon potius evaporet? annon, quæ dum sudoris fuit, etiam illa perfusionis fuit? sed illius non fuit commotio, cum ex sepulchro effoderetur: aliàs enim tum temporis statim stillasset; nec manuum impositio; nam cur levi manus vel digitorum impositione, stillet? cùm major motus, cùm extolleretur è sepulchro, id non impetraverit.* Verumenimverò Resp. (1) committit Dn. Adverf. quà *posterius* exemplum, iterum *fallac. ignorationis Elenchi.* Verba siquidem *Sperlingii* non ἁπλῶς, sed κατά τι intelligenda; nec *omnibus in universum* casibus sunt applicanda, sed ad *naturales* tantùm restringenda. Quando nonnunquam videmus, corpora *innocenter* extinctorum hominum *sine omni commotione*, eo *præcisè*

tempore, quo *interfector adest*, hæmorrhagiam pati, tunc effectum quidem hunc *admirari*, causas verò ejus *indagare* minimè valemus. Multò verò minus causam reperire possumus, cur *interfecti falces*, *gladii* & alia, quibus in vitâ usus, sanguinem nonnunquam emittant, accedente homicidâ. Sic *Jacob. Martini in Disp. de cognitione sui*, Anno 1610. Wittebergæ habita, *probl. 8.* refert: Anno Salvatoris 1503. fuisse Tiguri quendam Cauponem nomine Buggerlino, apud quem cum pauper quidam mercenarius peculium deposuisset, oblatâq; occasione ab illo in sylva interemtus, & clam sepultus, posteà verò cum repertus esset, suspicio homicidii in Cauponem cecidit: Habuerat enim ille mercenarius falciculam quandam sub cingulo, quam arreptam obtulerunt Cauponi, quærentes, num agnosceret. Ecce ut primum manibus ejus accepta est, sanguinem sudâsse dicitur, quo facto territus homicida, cædemq; fassus, supplicio est affectus. Confer. *Horst. l. c. p. 45.* (2) quà *prius*, committit *fallaciam petitionis principii*: Nam adhuc in quæstione est, annon commotum fuerit cadaver, *osculante cursore*, & *manum*

pecto-

pectori applicante? interim posito, illud non factum, referendum tamen exemplum ad casus *supernaturales*, qui ad nos non spectant.

§. IV. Sed pergit *Dn. Magister* in *Sperlingio* nostro refutando. *Quod autem dicit*, inquiens, *non semper sanguine stillare cadaver homicidâ præsente: nec quoties stillat, toties homicidam adstare; facilè ipsi largimur, nam ex supra dictis patet, non esse in quæstione, an semper id contingat, sed an aliquando contigerit, nec sumus in ea opinione, omne in cadavere occiso sanguinis profluvium semper testari præsentiam homicidæ. Quod autem exinde inferre vult, experientiam hanc esse fallacem, id ipsi negamus: Hoc potius hinc sequitur, in hoc casu non temerè judicandum, sed omnes rei circumstantias accuratè pensitandas.* Resp. cur ergo *Cl. Dn. M.* contra *Sperlingium* disputas, si omnia ipsi facilè largiris. Nam ex ipsius etiam dictis patet, non esse in quæstione, *an semper id contingat*, sed an *aliquando* contigerit; nec B. Vir in ea fuit opinione, *omne* in cadavere occiso *sanguinis profluvium semper* testari *præsentiam homicidæ.* Quod autem exinde inferre vis, *experientiam* hanc *non* esse *fallacem*,

id tibi negamus & hoc argumento probamus: *Quodcunque certum homicidæ præsentis indicium non semper præbet, illud est fallax: Atqui experientia de sanguine, è cadavere occisi, ad præsentiam occisoris stillante, certum homicidæ præsentis indicium non semper præbet; E. est fallax.* *Major* est manifesta, quia id, quod præsente occisore *modò* contingit, *modò* non, *modò* eodem absente, neminem de illius præsentiâ certum reddere potest. *Minorem* ἐκ περιουσίας confirmamus (1) quia *hæmorrhagia hæc* præbet etiam indicium *præsentis amici.* Nam teste *Libavio in Tr.* de cruent. Cadaver. *sponso sponsæ* defunctæ assidente, sanguis aliquandò è cadavere erupit. (2) Quia *hæmorrhagias hujus indicium est prorsus ἄλογον*, cum Deus in S. L. nusquam vel ullo apice tradat, aut probet talem rationem dubium explorandi homicidam. Præscribit quidem modum aliquem ignotum inquirendi maleficum *Deut. XXI, 1. 2. 3. seq.* at verò nullam prorsus mentionem facit hujus inquisitionis, quæ fit per *cadaveris cruentationem.* (3) Quia *hæmorrhagias hujus indicium est periculosum.* Facile enim fieri potest, ut *innocentissimi* etiam homines, præsertim si

impo-

impotentis sint *animi*, hanc ob rem consternentur & tremant, adeoq; *similem veri percussoris dispositionem* acquirant. Imò sæpius compertum est, tales innocentissimè esse punitos. *Quæ omnia, cum ita sese habeant* (verba sunt CL. JCTI, *Petr. Heigii in Qq. Jur. part. 2. quæst. 39. p. 353.*) *& adhuc in naturâ cum veritate ipsa in Democriti puteo, ut ita loquar, abditi jaceant, nec nisi à prudentissimis erui facilè possint; ad judicii necessitatem ea transferre periculosum esset. Judex igitur*, monente *Marcellin.* in hist: sua lib. 29. *contentus esse debet, judicare secundum prudentiam, quæ cadit in hominem, relinquendo cætera judicio divino.* Quod verò dicit Dn. M. ex illis *Sperlingii* verbis (*Non sanguinem semper stillat &c.*) non sequi, *Experientiam hanc esse fallacem*; Sed hoc potius, *in hoc casu non temerè judicandum, sed omnes rei circumstantias accuratè pensitandas.* Resp. & *hoc*, & *illud* sequitur; sed *diversô* modo. *Illud* (sc. experientiam esse fallacem) *immediate*, ut jam probatum; *hoc* verò *mediatè*, id quod ita ostendimus. *Q. fallax est, & judices fallere potest, in eo omnes rei circumstantiæ accuratè sunt pensitandæ: Atqui stillicidium hocce sanguinis &c. tale est; Ergò:*

Major eſt certiſſima. *Minor* veriſſima. *Concluſio* E. negari nequit. Atq; hæc pro *B. SPERLINGIO.*

§. V. Contra *Horſtium* ſequentia urget, quæ paucis etiam ſunt profliganda. *Primum* eſt, ex *ipſius*, quæ noſtra etiam eſt, *ſententia* ſequi, *nullum eſſe ſanguinis fluxum in illis*, *in quibus nulla affectus vehementia præceſſit mortem.* Sed reſp. negando ſequelam: quia, uti dictum, ex aliis etiam cauſis hæc hæmorrhagia oritur. *Secundum* eſt: *Sanguinem non ex intervallo ſed continuò ſtillare.* Reſp. concedimus: Niſi cauſæ ambientes externæ vel *interna* corporis conſtitutio fluxum impediant. *Tertium* eſt: *illum ſanguinis fluxum, qui immediatè mortem ſequitur, hic non attendi, ſed illum, qui intervallo temporis de novô accidit.* Reſp. Bone Deus! ubinam Horſtius vel nos eum attendimus? Eſt *fallacia ignorationis Elenchi.* *Quartum* eſt: *in illis, qui maxima cum vindictæ cupiditate mortui ſunt, maximo cum fervore ebullire.* Reſp. concedendo ſequelam, ſed *conditionatè*, ſcil. niſi aliquod *internum* vel *externum* adſit impedimentum. *Quintum* eſt: *illam cruentationem ſemel deficientem redire non poſſe.* (*Aut enim illa com-*

motio

motio est adhuc in sanguine, aut non; si est, fluit; si non est, non fluere potest) Resp. (α) D. inter id quod fit *per se*, & *per Accidens*. *Per se* humorum commotio educit sanguinem è venis: *Per Accidens* verò obstruuntur nonnunquam illæ venæ, vel alia accedunt impedimenta, hunc sanguinis fluxum sistentia. (β) D. inter τὸ *fluere*, & *effluere*. *Fluere sanguinem* tamdiu, quamdiu à *reliquijs* illis *caloris* commovetur, concedimus: *Effluere* autem semper, negamus. *Sextum* est: *Sanguinis abundantiam posse quidem promovere longiorem fluxum, non tamen ejus impetum & fervorem majorem, ejusdemq́; defectum itidem citius fluxum, non tamen ejus impetum sistere, multò minus planè tollere.* Resp. sanguinis copia non tantùm in causa est, ut sanguis diutiùs effluat, sed etiam ut majori vi erumpat, idq́ue non tam ob *humorum abundantiam*, quàm *Spirituum*, in illis residuorum, *vehementiam*. Sic defectus itidem sanguinis fluxum ejusq́; impetum *inbibere* potest æquè ac *promovere*. *Inbibet*, si illic caloris & spirituum reliquiæ sint debiliores; *promovet*, si fortiores, *Septimum* est: *venarum obstructionem fluxum non posse impedire, aut si semel impediat,*

pediat, semper impedire, cùm commotio tam fortis non sit, ut obstructas venas aperire possit, aut si possit, certè id statim post mortem facere, cum eô tempore adhuc sit fortissima &c. Resp. (1) est *petitio principii,* venarum obstructionem sanguinis fluxum non posse impedire, id quod probandum, non tantum dicendum fuisset. (2) est *ignoratio Elenchi, partim* dum dicit, venarum obstructionem fluxum, utut semel non tamen semper impedidire posse: ecquis enim hoc unquam affirmavit? *Partim* dum dicit, commotionem tam fortem non esse, ut venas obstructas aperire possit, aut si possit, certè id statim post mortem facere. Quasi verò sola commotio sanguinem eliciat! Quasi *externus* etiam calor plurimum huic venarum apertioni non inserviat! Quasi impedimenta non adsint, quæ sanguinis effluxum inhibere possint! *Octavum* est: *Calorem aëris solum non esse causam fluxus sanguinei.* Resp. iterum committitur *ignoratio Elenchi.* Causæ enim illæ non sunt disjungendæ, sed potius conjungendæ.

§. VI. Deniq; concludit hoc modo: *Quodcunq; ipsum solum non habet vim sangui-* nem

nem exciendi, illius quoq; umbra & vestigium solùm non habet vim sanguinem exciendi. Atqui commotio humorum & permutatio ipsa solum non habet vim sanguinem exciendi. Ergo. Neque umbra & vestigium. Majorem probat, *quia vestigium & umbra non transcendunt sphæram potentiæ illius, cujus umbra & vestigium sunt. Minorem* ex eo patere dicit, quia (1) *sequeretur, talem vehementem commotionem & permutationem humorum, ex aliis etiam actionibus, & non solùm ex pugnâ cum hoste de vitâ ortam, sanguinem ciere.* (2) *quod illa commotio in interfecto, cum hoste adhuc contendente, non legatur è naribus, ore aliisq; locis patentibus, sanguinem expulisse.* Resp. Negando *Minorem*. Ad probationem dicimus (1) *vebementem humorum commotionem* non ex *hostili* tantùm aliquo *conflictu*, sed ex *aliis* etiam *actionibus* sanguinem ciere posse. In cujus rei fidem ipsam rerum omnium magistram, experientiam citamus. Ecquis enim ignorat, sanguinem *cursu* nimis commotum sæpius ex cursorum ore, naribusq; emanasse? Quis etiam adeò hospes erit in amplissimis Physicæ campis, qui nesciat summam *iræ* vehementiam? Incalescit hâc cor, effervescit sanguis, artus trepi-

trepidant, manus tremunt, ſpiritus in totum corpus ſe diffundunt & exeunt quaſi ſuppetias inſtrumentis laturi, muſculi ſeſe producunt ad ictum inferendum, tumeſcunt venæ, & quidem ita, ut, teſte *Seneca*, nonnunquam etiam *nimio fervore ruptæ magnam ſanguinis copiam emiſerint.* (2) Quid opus eſt, ut ex interfecti (rectiùs interficiendi) cum hoſte adhuc contendentis, *naribus & ore* ſanguis exeat? Adſunt *aliæ viæ* patentes, *vulnera* ſc. ab occiſore inflicta, per quæ facillimè elabi poteſt.

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Adverſariorum ſententias examinans.

EXAMEN I.

Opinionis Galeoti & Sympathias defenſorum.

§. I.

HÆc ſententia multiplici laborat morbo. Nam (1) *falsò* fluxus ſanguinis ad *decimam* aut *duodecimam horam* à tempore cædis commiſſæ refertur. Cùm enim *quantitatis per ſe nulla ſit efficacia*, hoc quoq; locô hæmor-

hæmorrhagia illa ad certum aliquod *tempus* restringi minimè potest. Quid? quod exempla exstent quamplurima, quæ post aliquot *dies* & *septimanas*, imò elapsis aliquot *annis* sanguinem ex interemti hominis cadavere profluisse testantur. (2) *Falsum*, quod *Spiritus* è *proprio suo subjecto* emigrent, & postquam in *alieno* diu habitassent, in illud remigrent. *Internus* quidem *motus* ipsis conceditur, dum in *proprio corpore*, modò huc, modò illuc, nunc sursum, nunc deorsum moventur; Sed motus ille *externus*, quem *Galeotus* comminiscitur, tanquam merum cerebelli humani figmentum, meritò rejicitur. (3) Ea ratione in *occisore* potius, quam *occiso* spiritus movebuntur, sanguisq; excitabitur. In *occidente* enim omnis adhuc *perfectè nativus* inest *calor*, quô maximam partem destituuntur *cadavera*: Calore autem absente, nihil vel certè parum de *spiritibus* reliquum manet. (4) Verendum, ne cadaver etiam *bovis* vel *suis* ad præsentiam *lanionis*, vel alterius animantis hæmorrhagiam patiatur, præsertim si cum vindictâ violenter sit occisum. Par enim utrobiq; ratio est. Iidem siquidem, ut in homine, ita in bruto quoq;

Spiri-

Spiritus reperiuntur. (5) Si *occisoris Spiritus* in *occidendum* convolent, itidemq; *hominis trucidandi*, vindictæ cupidi, in *occisorem* tendant, sequeretur, cadavera eorum, qui *sine vehementi commotione* decessêre, *sanguine non* stillare. Atqui posterius est falsum; Ergò & prius. *Minor* vel ex solo illo *Horstii* exemplo constat, quod primâ statim Διασκέψεως suæ facie enarravit. Vid. Sect. 1. art. 1. (6) *Falsum* est, *Spiritus occisi* in *occisoris* corpore *vivere*. Nam aut *principaliter* aut *instrumentaliter* ibi vivere dicuntur. Non *illud*: quia sola anima, principalis vitæ causa est. Neq; *hoc*; quia aut vivificantur ab *anima occisi*, aut ab *anima occisoris*; cum *tertium* hic non detur. Sed non diriguntur ac vivificantur ab *anima occisi*, quæ ab ipsis separata est, & in certo suo versatur πῶ; multò minus ab *anima occisoris* informantur, cum hac enim ejusque instrumentis dissensum alunt, secundum hypothesin *Galeoti*. Et quî fieri posset, ut *spiritus occisoris* longè plures atq; *fortiores*, *debiliores* illos *occisi spiritus*, sibi inimicos, tolerarent? Nonne quantâ possent vi eosdem expellerent? Id enim *hostium* requirit *indoles*. Ergò relinquitur, *Spiritus occisi* in

occiso-

occisoris corpore minimè *vivere* posse. (7) *Falsum* est, *sanguinem* jam *frigefactum*, à *spiritibus occisoris*, in ipso existentibus, iterum agitari & ad fluxum aptum reddi. Nam si *sanguis frigescit*, & ad fluxum ineptus efficitur, tunc quoq; *spiritus* in ipso contenti, motricem suam facultatem amittent. Atqui verum est prius; Ergò & posterius. *Majoris* consequentiam probamus: *Quia* Spiritus illi nihil aliud sunt, quàm subtilissimæ subtilissimi sanguinis particulæ. Vid. *Sperling. in Zool. p.* 152. Jam verò quemadmodum sanguis, exhalato omni calore, consistentiam atq; fluiditatem suam non retinet, ita nec spiritus illi sine calore suas edere poterunt operationes. (8) *Contradictio* est, quando ultimo loco *Galeotus* scribit, corpora esse debere *calidiora*, quoniam calore Spiritus conservantur; & tamen in antecedentibus dixerat, sanguinem jam esse *frigefactum*. Si enim est *frigefactus*, quomodo *calor* ibidem esse potest? Si verò hic adest, quomodò *frigus* ibidem locum inveniet?

§. II. Sed ad *Sympathiam* propius accedimus, eamq; & hic proscribimus. Nam quænam inter *Latronem* & crudeli nece *peremtum*

emtum, esse possit *amicitia*? quî ad *unionem* *sui hostis sanguis* inclinet? Non fugiat magis ac retro se abscondat emersurus? Quomodo *spiritus* illi, qui ex *interfectoris oculis* in *interficiendum* egressi dicuntur, tantam vim habeant, ut magnam sanguinis copiam extrahant? Quo altero *vis* impressa ad plures *annos perseveret*, in aliis *deficiat* proximo dierum spatio? Utriusq; enim experimenti historia præstò est. Adde quod *Sympathia* pariter ac *Antipathia* cum *ortu rerum* statim incipiat, & *perpetuò eadem* sit; hic verò longè aliter se res habet. Benè igitur *B. Dn. Danhavverus* Colleg. Phys. 4. Contr. 8. p. 131. ex Amore, quem *Scaliger* vocat *affectum unionis* Exerc. 301. s. 1 colligit, *Physicis principiis repugnare vulgi opinionem, quâ existimatur, profluvio sanguinis homicidam prodi, nam quid hoc esset aliud, quàm suo effluxu velle infensissimo hosti uniri, eundemq; amare?*

EXA-

EXAMEN II.

Opinionis Lemnii, Schotti, Kircheri &c. ad Antipathiam confugientium.

§. I. Utut *probabilis* videatur hæc adsertio, obstant tamen nonnulla, quæ de ponte eam dejiciunt. Nam (1) *omnis Antipathia à natura congenita est, & innata.* Atqui *inimica inter sanguinem occisi & occisorem à natura non est congenita & innata*; Ergò *non est Antipathia. Majorem* confirmant exempla, quæ de *verâ Antipathia* proferuntur, omnia. Sic à natura innatum est odium *Lupo* & *ovi*, *accipitri* & *columbæ.* Sic nobilis illa *Matrona*, cujus mentionem facit *Renodæus Instit. l.* 1. *c.* 8. *p.* 9. à primo statim *nativitatis momento* sine deliquio animi *rosarum* ferre nequivit *odorem.* Sic *alia* spectatæ formæ & virtutis *fæmina*, nomine *Francisca*, ab *infantia* statim carnium *esum* abhorruit, teste *Scalig. Exerc.* 63. *f.* 10. Sic quidem *Hispanus* nunquam *pisces* gustarat, nec delibare potuerat: At cum ab amico semel ad cœnam fuisset invitatus, ovaq; degustasset, quibus siccati piscis pulvis autè fuerat admixtus, in animi angustias,

cordis pressuras, cum vomitu & secessu incidit, ita ut exanimis propè deficeret, autore *Amato Lusitano Curat. X. Cent.* 2. Sic *Parens* ille, de quo *Libavius Tract. de Antipath. Rar. part.* 2. *Sing.* verba facit, *filium* suum ab ortu statim in eodem conclavi tolerare non potuit. Hæc ad *Majorem*. *Minorem* probamus: quia *inimicitia* illa *ex accidenti* interfectori & interficiendo in inimico illo & hostili conflictu imprimitur (loquimur ex hypothesi) nec à natura statim connascitur. Arctissima enim sæpius *occisorem* inter & *occisum* intercessit *amicitia*, nec ulla dissensionis alicujus in vita apparuit nota. Quod si igitur hæc *inimicitia à natura* occidendo esset impressa, cur non in vita statim per sanguinis effluxum esset manifestata?

§. II. Sed *instabis* fortassis: Quamvis Antipathia non ex cognitione quadam sensuali, sed propriè ab ipsà naturâ dependeat; Non tamen negari potest, quod in inimico & hostili conflictu occisoris & occisi, maxima corporis perturbatio præcedat, quæ ejusmodi qualitatem occultam humoribus & spiritibus imprimere possit, ita ut effluvium spiritale inimicum, ab occisore effluens, in cor-

por

pore occisi sanguinem commovere queat. *Resp.* verò per distinct. 17. πρῶτον. Concedendo quidem non in *hostili conflictu* maxima fiat *spirituum & humorum commotio*, quatenus ipsis *phantasia* imperat, & tanquam adminicula pro defendendis partibus huc & illuc transmittit. Cum autem nullum *objectum sensile* secundum *realem suam naturam* à sensu nostro recipiatur, sed solum per *speciem sensibilem* tanquam per *imaginem* repræsentetur; idcircò non constat, quomodo *corpori percussoris* ejusmodi *qualitas realiter* imprimi possit, quæ per *effluvium spiritale* postea egrediatur, & sanguinem in occiso corpore ad motum adhuc aptum commoveat. Non enim inter *hostes pugna* est, quatenus sunt *homines*, vel *corpora naturalia*; sed quatenus *unus alterum odit*, & illatæ injuriæ *vindictam expetit*. Vid. *Horst. l. c. p. 42. 43.*

§. III. (2) *Omnis Antipathia perpetuò est eadem*; atqui *inimicitia inter sanguinem occisi & occisorem perpetuò non est eadem*; Ergò *non est Antipathia*. *Major* experientia roboratur. Ovis enim *perpetuò* lupum fugit, columba *perpetuò* accipitrem horret. Nec ullum contrarium facilè afferri potest exem-

 plum.

plum. *Minor* patet, (1) *quia* ſanguis ex occiſi corpore *non ſemper* ſtillat, quantumvis *præſens* ſit *homicida*. Id quod ipſe *Libavius* exemplo Ilmenoitano confirmat, ubi opinioni eventus non reſpondit, cum tamen ſat recens cædis auctor adhiberetur, ipſiusq; factum confiteretur, pag. 154. 275. Et vel ſexcentis aliis, ſi opus foret, exemplis idem probare poſſemus. Atq; hinc etiam, quod refert *Apollonius Rhodius l. 4. Argonaut. n. 41. p.* 184. & *Scholiaſtes Sophoclis in Electrâ*, antiquitus receptum fuit, ut, qui fluxu ſanguinis ex occiſi corpore prodi nollent, *ter lingerent interfecti ſanguinem, ſtatim expuendum*, aut extrema corporis, *naſum, aures, digitos, pedem manumve, ad collum, vel maxillas ſuſpenderent*; aut *gladium* cædis inſtrumentum, *capillis interfecti abſtergerent*. (2) *quia* Sanguis ex cadavere ad *amicorum* etiam & cognatorum *præſentiam* ſæpius emanavit, id quod luculenter patet vel ex unica illa hiſtoria, quam *Libavius a. l.* annotavit, de cadavere *ſponſæ* ad præſentiam *Sponſi* ſtillante. (3) *quia* ſanguis, *nullo vel Amico vel interfectore præſente* ſæpius effluxit, quo de vide Sect. 3. κατασκ.

§. IV. At

§. IV. At *inquis*: Externum sæpius adesse *impedimentum*, quod *Spiritale effluvium* corrumpat, ita ut ἀντιπαθοῦντες in sese agere & reagere non possint. Id quod apparet in *mustelis & testudinibus*, quibus, si *rutâ* sint munitæ, frustra insidiantur *serpentes*. Eaque propter etiam hic ex occisi corpore non semper effluere sanguinem, licet præsens sit interfector. Verum *respondemus*, concedendo, quod sæpius *impedimentum* aliquod adsit *externum*, quale inter *serpentes* & *mustelas* est *ruta*, inter *magnetem* & *ferrum* (respectu *Sympathias*) est *allium*; at verò an idem hic reperiatur, valdè dubitamus. Nomina enim nobis *externum* illud *impedimentum*, quod hæmorrhagiam illam sistit & inhibet, & Phyllida solus habeto. Nomina eam nobis rationem, ob quam cadaver licet vel ipse interfector digitos suos in ipsa occisi vulnera immiserit, sanguinem tamen nullum emiserit, & vir esto.

§. V. *Dices*: impedimentum illud esse *Aërem*, *aromatibus* aut aliis *graveolentibus alteratum*: vel etiam *Dæmonem* in gratiam homicidæ vel alicujus sagæ posse hæmorrhagiam sistere. Resp. (1) quà *prius* concedendo

 quidem

quidem, quod *aëris densatio* spiritale effluvium nonnunquam corrumpere possit, quo minus ad aliud corpus transire valeat. Unde verò constat, quod hic ejusmodi spiritale reperiatur atq; egrediatur effluvium? Unde constat, quod si spiritus fortean emittantur, illi præcisè in adstantem homicidam ferantur? Hoc probandum prius, non præsupponendum solùm est. Et quid dicendum de eo, quando occisor digitos in vulnera mittit, imò linguâ suâ eadem attingit, neq; tamen ullam sanguinis guttulam elicit, Tunc sanè aëris immutatio in causa esse non poterit, quo minus spiritale effluvium sanguinis fluxum excitet, cum parum vel nihil aëris occisorem inter & occisi corpus intercedat. (2) quà *posterius*, sequelam negando. Nam à *posse* ad *esse* N.V.C. Neq; enim à *particulari* ad *universale* concludere Philosopho licitum est.

EXAMEN III.

Opinionis Campanellæ, Tholosani &c. rem ad animæ reliquias deferentium.

Quod ad hanc sententiam attinet, respondemus (1) Si stillatio sanguinis ex occisi corpo-

corpore provenit ex *reliquiis animæ*, illæ *reliquiæ* aut erunt *animæ rationalis*, aut *sensitivæ*. aut *vegetantis*; Plures enim *animæ gradus* non dantur. Sed non sunt *reliquiæ animæ rationalis*, quia hæc maximè ἀμέριστ© est, *Arist. 8. Met. c. 3. tit. 10.* & jamjam corpus reliquit; neq; sunt *reliquiæ* animæ *sensitivæ* vel *vegetantis*, quia ipsa anima *sensitiva* atq; *vegetativa* à *rationali*, in homine, non *distinguuntur realiter*. (2) Exempla, quæ proferuntur, ad rhombum faciunt minimè. *Caudæ* enim *anguillarum* & *lacertarum* abscissæ, item *pedes aranearum* truncati, non eo *præcisè* tempore, quo ille, *qui abscidit*, *præsens* est, commoventur; sed *quocunq; tempore*, & tantisper, donec vis omnis extincta erit. Neq; tantum *occisore præsente*, sed ad *cujuslibet præsentiam* motum faciunt. (3) *Disting.* propterea inter *ferventem quendam calorem* vel *vaporem*, & *animæ reliquias*; illum in occisi corpore, præsertim in corde, aliquandiu, beneficio sanguinis, retineri posse, non inficiamur; sed indè statim ad *animæ reliquias* dilabi non debemus. (4) contra *Tholosanum* ita concludimus: *Quicquid mente prorsus destituitur, illud mente concuti nequit; Atqui cadaver*

daver hominis interemti, mente prorsus caret seu destituitur; Ergò. *Major* sua luce lucet. Nam *non-Entis nullæ possunt esse affectiones, nullæ operationes. Minor* vel ex antecedentibus constat.

EXAMEN IV.

Opinionis Cœlii Rhodigini.

Circa hanc sequentia sunt observanda: (1) *Falsò* intra plus minus *septem* horas sanguinem effluere asserit. Ex cadavere enim *octennali* ad præsentiam Matris sanguinem stillasse, *Albertus Hildebrand. lib. Observ. Sing. Horst. p. 432.* refert. (2) Non constat, quid per *sensilis animæ vires* intelligat Auctor ille. Aut enim intelligit aliquod *substantiale*, aut aliquod *Accidentale*. Si *substantiale*, vel *reliquias animæ sensitivæ* intelligit, vel *Spiritus* ab animâ adhuc præsente, commotos. Si *illud*, animam rationalem *divisibilem* faciat necesse est, quod tamen absurdum; Sin *hoc*, dicat quomodo spiritus illi *præcisè* commoveantur, *præsente percussore*? Quod si autem *accidentale* quid intelligat, sciat, *nullum accidens absq; suo subjecto naturaliter subjicere posse*. (3) *Petitio principii* est, spiritus convolare, & insit

insitâ levitate mox autorem circumsilire, cujus calore perseverent persistantq́; aliquandiu. Unde enim quæso, hoc probabitur? Eâ igitur facilitate, quâ dicitur, etiam rejicitur. (4) Ingens quoq́; *postulatum* est, Spiritus semel egressos sanguinem denuò repetere. Unde enim hic *appetitus* Spiritibus? Et si talem habent, cur à sanguine anteà recessêre? Unde illa insultatio spirituum in occisore? à *vindictâ?* at hâc carent, quoniam animâ carent. *Vindicta* verò *animæ affectus* est. (5) Exindè potius sequeretur, occisorem sanguinem effundere, quia in eum convolent Spiritus & evolando sanguinem educant. (6) Videtur supponere, *visionem* fieri per *radiorum emissionem*, quâ mediante emittantur quoq́; insimul Spiritus ab occisore recepti. Sed hoc jamdudum explosum est à Sapientioribus. Vid. *Sperl. in Zool.* (7) Non omnia cadavera cum *vindicta* ceciderunt. Anne igitur his omnis omninò sanguinis fluxus denegandus? Certè, ex sententia *Rhodigini*. Cum enim in his nulla præcesserit vindictæ aut cupiditatis cogitatio, nullæ etiam sensilis animæ, cupiditatis &c. & vindictæ, vires residuæ esse poterunt.

Sed

Sed tamen hæmorrhagiam ista quoq; corpora passa esse, testatur satis superq; experientia.

EXAMEN V.

Opinionis Bodini, Kornmanni, & aliorum, oberrantibus interfectorum animabus effectum huncce adscribentium.

Non à veritate tantùm, sed à pietate etiam aliena prorsus hæc sententia est. Sic enim (1) arguimus: *Quæcunq; anima à corpore suo est separata, illa per corpus amplius operari nequit:* Atqui *anima interemti hominis à corpore suo est separata*; Ergò *per corpus operari nequit. Major* inde corroboratur, quia inter *agens & patiens* necessarius est aliquis *contactus*, sive *corporalis* ille sit, sive *virtualis. Minor* ex ipsa mortis ratione patet. Nam *mors* sive *naturalis* sit, sive *violenta*, nihil aliud est, quàm *separatio animæ à corpore.* (2) Omnis *anima separata extra mundanam conservationem in certo suo πȣ͂ existit, adeoq; circa cadavera errare aut cruentationem causari nequit:* Atqui *anima interemti hominis e*

nis est separata; Ergò. *Minor* est certa, secus enim corpus adhuc informaret, & ad actiones vitales obeundas disponeret, adeoque corpus non *mortuum* sed *vivum* esset. *Major* ex libro *Scripturæ* cumprimis redditur manifesta. (3) *Anima latet in sanguine*, sed *cum corpore conjuncta*, non verò *separata*. Deinde esse dicitur in sanguine non *principaliter*, sed *instrumentaliter*; non *exclusivè*, sed *inclusivè*. (4) inconsequens est consequentia: *Anima latet in sanguine, & invita discedit à corpore*; Ergò *circumerrat illud, & seipsi insinuare tentat*. Rationem inconsequentiæ, *Theologorum* suppeditant Scholæ, in quas transilire nolumus. (6) Ad locum illum Genes. IV. respondet, *B. Gerhardus Comment, in Genes. c. 4. p. 148.* sequentibus verbis: (α) *Per Prosopopœiam atrocitas homicidii exprimitur, quod singulæ quasi guttæ sanguinis habeant linguas, & vindictam exposcant.* (β) *Anima Abelis coram Deo post mortem locuta Apoc. VI. v. 11.* (γ) *Clamor, quem Abel edidit, cum à fratre interficeretur, post mortem adhuc sonuit in auribus Dei.* A clamore itaq; vindictæ ad Deum, ad clamorem vindictæ ad homines & ad sanguinis destillationem N. V. C.

EXAMEN

EXAMEN VI.

Opinionis Cornelii Gemmæ, in Occisoris imagine, sanguini occisi inhærente, causam quærentis.

Falsa, quæ hæc sententia continet, tot ferè sunt, quot verba, quibus ipsa exprimitur. Nam (1) *Falsò* stillicidium hoc ad *tertium* usq; *diem* restringi videtur ; cum vel sexcenta adsint exempla, quæ contrarium loquuntur, uti jam supra docuimus. (2) *Falsò* interfectoris *idea* in concreto cadaveris sanguine latere dicitur. Quo enim pacto *idea* in *sanguine* latitet, cum ipse nunquam senserit aut cognoverit ideam ? Aut ipse *sanguis* percipit *naturali facultate* objectum : aut vi impressum ab *externâ causâ* suscipit. Neutrum esse potest. Et si latitat, quo pacto citra *sensorium externum* vivum cognoscet præsentem? Nam necesse est, *interiorem ideam* conferri cum *exteriori sensili.* At hoc nullo, ne *dormiente quidem*, nedum *mortuo* fieri potest. Remanere quasdam imagines in sensoriis vult Philosophus: unde nocturno tempore observentur nobis diei gesta; at clau-

ut clausis oculis & jam demortuis amissâ formâ & facultate suâ, quis conjiceret, præsentem illam rem, à quâ ante *sensilem speciem* conceperat? Mirabile etiam est, cur id ponat in *quovis sanguine*, cum nonnisi *circa cerebrum* sanguis putetur *ad sentiendum aptus*. In *spiritibus* tam *fugacibus*, quomodo erit *idea* residua? Nullus *apoplecticorum* aut *dormientium* hostem suum adstantem percipit, quomodò *mortuus*? Cur etiam in *concreto sanguine* restet? Aut quomodo hic posteà fiet ita aqueus, ut perfluat? (3) *Falsum*, quod residuus ille spiritus propter *ideas inhærentes* in percussorem obvium concitetur: omni enim *sensu*, omni *judicio spiritus* ille *residuus* caret, ita ut interfectorem *sentire*, ut ab alio homine eum *distingvere* nequeat. (4) *Falsum*, quod stillicidium sanguinis è cadavere non prius supprimatur, quam *occisor* longe sit *remotus*: experientiam enim testem vocamus, sæpissimè hæmorrhagiam hanc, occisore adhuc præsente, desiisse. Et quanta, quæso, sanguinis copia corpori inesset, si tantisper, donec percussor amoveatur, stillaret? *Nonnunquam* quidem accidisse legimus; Sed *particulare* hoc est.

eſt. A *particulari* autem ad *univerſa*
N. V. C.

EXAMEN VII.

Opinionis Majoli, aëris attractionem, & ſpirituum infectionem cauſam hujus rei conſtituentis.

Hæc Majoli ſententia ſatis quidem *ſpecio-sè* profertur, minus tamen *verè* prolata eſſe videtur. Nam (1) propria vinet cædit, & ſibi ipſi contradicit, dum inquit *Cadaver omni ſpiritu eſt deſtit. tum*, & mox ſubjungit quod tamen *horrore tunc concutiatur, tranſeunte occiſore, quia ſpiritus ibi in vulnere ſunt quadantenus infecti à ſpiritibus interficientis* &c. Majoris evidentiæ igitur argumentamur ita: *Quodcunque cadaver omni ſpiritu eſt deſtitutum in illius etiam vulneribus ſpiritus nulli ſupereſſe poſſunt*; atqui *cadaver hominis interfecti omni ſpiritu eſt deſtitutum*; Ergò. *Major* pro fundamento habet primum illud cognoſcendi principium: *impoſſibile eſt idem* (corpus) *ſimul eſſe* (ſpiritibus præditum) & *non eſſe* (ſpiritibus præditum). *Minor* eſt *Majoli*. E. (2) Negamus, quod *cadaver interemti homini* tranſeu

transeunte occisore, *horrore concutiatur*, idq; hoc ratiocinio probamus : *Quodcunq; est* ἀναίσθητον, *illud etiam horrore concuti non potest* : Atqui *cadaver hominis interemti* est ἀναίσθητον; Ergò *etiam horrore concuti non potest*. *Major* patet, quia *horror* est *affectus animæ sensitivæ*, & *sensibus* rebusq; *sensitivis* tantùm incutitur. Hinc frustrà operam sumit, qui ligno vel lapidi horrorem injicere cupit. *Minor* est certissima & ab ipso etiam *Majolo* concessa. E. (5) *Principium petit*, quando dicit, *Spiritus in vulnere esse quatantenus infectos à spiritibus occisoris*. Hoc enim adhuc dubium & probatione indiget. Incertum quoq; est, *aërem infectum*, *transeunte homicidâ*, *ad ipsum vulnus trahi*. Quænam enim hic tractionis fingenda causa? Num *facultas attractrix* sanguini concedenda, cujus beneficio effluvia attrahat ? Minimè. Ratio est : *Quæcunq; effluvia dissentanea sunt*, *illa non attrahuntur ab attractrice facultate*. Atqui *effluvia illa ab occisore*, *secundum illius sententiam*, *egressa respectu occisi sunt dissentanea*; Ergò. *Minor* ex hypothesi *Majoli* propullulat. *Major* ex *facultatis attractricis* constitutione patet. (6) Concedimus

 aliàs,

aliàs, quod *attractio aëris* aliquam *sanguinis ebullitionem* causari possit; verum an *præcise* ad *præsentiam homicidæ* sanguis ab aëre excitetur, nondum satis est confirmatum.

EXAMEN IIX.

Opinionis Watsonii.

Limam, quæ merentur, sequentia sunt: (1) *Homicida* ad cadaver adductus *non semper alteratur*. Quidam enim *præfracti* sunt animi, ita ut nullo modo commoveri possint. Alii sibi *persuadent*, hæmorrhagiam non esse secuturam, adeoq; itidem non afficiuntur. (2) Interim posito, *metus* aliosq; affectus occupare interfectorem, nondum tamen constat, an sint *causa istius effluxus*. (3) Non semper nudato corpori *manus trementis* imponuntur; Ergò *χειροθεσία adæquata* illius stillicidii *causa* esse nequit. (4) Si manus trementis *refrigerant* sanguinem, eundem non *educent*: atqui verum est prius, secundum mentem *Watsonii*; Ergò & posterius. *Majoris* connexio patet: quia sanguis per *frigiditatem* ad *fluxum ineptus* redditur.

EXA-

EXAMEN IX.

Opinionis Libavii, Avicennæ &c. mira de Imaginatione somniantium.

§. I. Ad *Libavii* sententiam notamus (1) concedendo quidem, quod motus sanguinis eo ipso tempore, quo primum alter cum altero congressus est, vehementissimus in corpore fuerit, quodq; ejus vis & potentia tam citò non extinguatur; At verò quod illa vis in *quartum* usq; *annum* pluresve duret, vero non videtur consentaneum. Argumentamur ita: *A quocunq; anima est separata, illius sanguis residuus diu naturaliter moveri non potest*: Atqui *à cadavere occisi hominis anima est separata*; Ergò *illius sanguis residuus diu naturaliter moveri non potest. Major* probatur, quia anima *internum* est principium motus in animato. *Minor* nulla probatione indiget. (2) Utut ponamus etiam, *sanguini*, quamdiu in naturali suo vigore est constitutus, *naturalem* quandam inesse *vim* ad *movendum*; tamen quod *præcisè* ille motus, animâ jam separatâ, determinetur ad *præsentiam amici* vel *inimici*, illud negamus. Hinc *principii petitio* est, quandò *Libavius* dicit,

cit, *naturâ inesse* cadaveri *vim* quandam, quâ valeat *præsente* seu *amico* seu *inimico* circa spiritus & sanguinem *moveri*. Quid obstat, quò minus etiam vel alio, vel nullo præsente per *motricem* illam *facultatem* moveri possit? Probandum, non tantùm dicendum hoc fuisset. (3) Nititur *Libavius* falsâ hypothesi, dum affectus non ad *animam* solùm, sed ad *corpus* etiam refert p. 306. adeoq; in sanguine occisi esse affectum ulciscendi se, colligit. Verùm præter rem & rationem. Nam *quicquid est qualitas animæ sensitivæ, illud non est qualitas corporis* : atqui *affectus est qualitas animæ sensitivæ*; Ergò. *Major*, quia anima & corpus distinctissima sunt. *Minor* quia affectus est passio animæ sensitivæ, insequens facultatem ipsius appetentem. Vid. *B. Sperl. in Zool.* (4) Non semper *mutuus* est *hostilis conflictus*, quod *Libavius* p. 281. supponere videtur, cum sæpè *ex improviso* alter ab altero interficiatur, neq; tamen fluxus sanguinis cessat. Vid. *Horstium l. c.* & fidem dictis facies. (5) Rationem illam, quam ex *spiritibus interemti* petit, eamq; dicit caussam esse moti sanguinis in percusso, cum nondum satis exposuerit, nondum quoque

cam

eam recipere possumus: & tametsi ibidem plurima pro eá confirmanda adduxerit, paucissima tamen, imò omnia ad rem nequicquam faciunt. (6) Quod ad *imaginationem* attinet, non negamus, magnos atq; admirandos ejus esse effectus. Sic *imaginatio* varios mirosq; efformat *fœtus*. Hinc Mulier alba Æthiopem peperit, teste *Quintiliano*: Æthiopiæ Regis Conjux Chariclæam albam genuit, narrante *Heliodoro*: Puella hirsutum Puerum in lucem edidit, auctore *Damasceno*; aliæ cornutos protulere filios, referente *Joh. Bapt. Portâ*. *Imaginatio* subitas, easq; vehementissimas, commotiones atq; immutationes, ex amoris affectu dependentes, causatur. *Imaginatio* ὑπνοβάτας, sui quadam specie per somnum oblatâ, instigat, ut dormiendo surgant, & vigilantium opera perficiant. Quid? *imaginatio* imperat humoribus, imperat spiritibus in corde nostro. Hinc cum imaginamur rem terribilem, colligit se sanguis circa cor; cum jucundam, effunditur; cum indignam aut turpem, tendit in faciem; cum libidinosam, tendit in genitalia, atq; in has aut illas partes, ut hæc aut illa imaginatio surripit, dicente *Vallesio*

lib. 2. Controv. cap. 4. Imaginatio in vulnerato etiam *vivente* ſanguinem excitare potis eſt, præſente vulnerante, ut jam ſuprà docuimus. Verum enim verò an imaginatio idem in *vulnerato mortuo* præſtare, ſanguinemq; ad *occiſoris præſentiam* excitare valeat, ſanæ rationi non videtur eſſe conſentaneum. Dic enim, quæſo, quomodo *per imaginationem* ſpiritus ex interfectore ad interfectum egredientur? Dic quomodò ex *interfecto* vapores unà educerent? dic, annon potius *occiſor*, quàm *occiſus* hâc ratione ſanguinem ſit emiſſurus? dum enim ex eo ſpiritus exeunt, facilè quoq; nonnullas guttulas ſecum trahere poſſunt. Vanum ergò eſt, quod *in imaginatione Libavius* quærit, *κεῖρο-Φύγετον.*

§. II. Sed dandum etiam aliquid eſt *Avicennæ*, aliisq; *Arabibus* apud *Weinrichium l. c.* Nam fruſtrà hi ſupponunt, *phantaſiam* in *externam* quoq; *materiam* multum juris habere. Quod ſi enim (1) verum eſſet, beati forent *melancholici*, nemoq; non poſſet ſibi divitias, regna & alia multa acquirere. Et quis noſtrum viveret, ſi *imaginatio* hoſtium tantoperè in nos valeret? quid opus eſſet, tormen-

tormentis ad bellum ſeſe inſtituere; (2) Et ſi in *proprii* ſui *corporis* partes pro libitu agere non poteſt, quomodò in *externa & aliena* imperium exercebit? Prius patet. Digitus in gangræna eſt emortuus; ſed *imaginando* non vivificatur. Imaginor ignem, non caleſit cerebrum. Nivem cogito, non refrigeratur. Non ægrotat Medicus, de morbo dum cogitat. Non convaleſcit ægrotus, cum ſanitatem tacitâ ſecum volvit mente. Quemadmodum enim ſpeculum, cum in eo rei oppoſitæ idolum apparet, non mutatur, neq; in melius, neq; in deterius; ita neq; *phantaſia*, utpote quæ *ſpeculum quaſi animæ* eſt, imagines rerum recipiens. Vid. *Weinrichium l. c. p.* 168. (3) Quod verò attinet ad fundamenta hujus ſententiæ, ea valdè lubrica atq; imbecillia ſunt. Nam commentum eſt, nonnullos *ſolo contactu, incurabiles morbos, ſine remedio aliquo, per imaginationem aliquam, ſuſtuliſſe.* Diſtinguendum enim inter nudam *imaginationem*, & *ſuperſtitionem.* Huic, non illi, curatio illa, ſi quæ ſubſecuta eſt, accepta ferenda. Deinde phantaſticum quoq; eſt, ſæpè *ſerpentes unum in locum per imaginationem eſſe coactos.*

Nam iterum hic disting. inter *imaginationem*, & *superstitionem* s. *dæmoniacam confœderationem*. Hanc, non illam sapit *serpentum incantatio*. Vid. *Delrio in disquisit. Mag.*

EXAMEN X.

Opinionis Valeriolæ, Melanchtonis, Tympii, arcano Dei judicio rem committentium.

Hi triplici peccant modò (1) supponendo, stillicidium hocce sanguinis certum præsentis occisoris exhibere indicium, quod tamen jam suprà explosimus. (2) Confugiendo ad *causam primam & universalem*, neglectis *secundis* atq; *particularibus*. Non quidem inficiamur, Deum Opt. Max. uti ad omnes, ita ad hos quoq; effectus concurrere; verum non excluduntur eo ipso *causæ particulares*. *Causa enim prima*, quoad *ordinarium* naturæ cursum, *non agit sine secunda*, docentibus *Metaphysicorum* scholis. (3) Non distinguendo inter *casus naturales*, & *supernaturales*. In *his* ad causam *supernaturalem* confugiendum; in *illis* verò *causæ proximæ*, naturales atq; particulares, attendendæ sunt atq; indagandæ.

CAPUT

CAPUT II.
DE LACRYMIS CROCODILI.

Auctores statuentes, Crocodilos lacrymari. Auctores negantes Crocodili lacrymas. Vox Crocodilus *unde. Significatio ejus varia. Synonymia.* Lacryma, Lachryma, Lacruma, Dacryma. *Lacrymæ impropriè sic dictæ rerum inanimatarum. Lacrymæ arborum, Lacrymæ brutorum, ut equorum, leonum, canum, asinorum, boum, avium, lusciniæ. Comparatio à lusciniæ fletu. Lacrymæ hominum cum morbo. Lacrymæ sine morbo variæ. Definitio lacyrmarum. Earum caussa efficiens moralis, Physica, Ministerialis, Instrumentalis. Imperium intellectus in voluntatem. Via lacrymarum. Harum materia, Forma, finis. Solus homo lacrymatur. Crocodili descriptio. Proverbium :* Crocodili lacrymæ. *Argumentum contra Crocodili lacrymas à ratione. Intellectus brutorum. Argumentum a risu. Contrariorum subjectum. Argumenta alia. Solutio objectionum. Emblema :* Plorat & devorat. *Origo Proverbii :* Lacrymæ Crocodili. *Judicium de lacrymis brutorum. An lacrymæ impropriè saltim ita vocatæ Crocodilo sint concedendæ, dubitatur.*

SECTIO I.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Auctorum sententias apponens.

§. I.

CRocodilos lacrymari, multi sunt qui negant, multi qui affirmant. Ex his *Physiologus* apud *Vincentium Belluacensem* in Spec. Nat. lib. 17. *Crocodilus*, inquit, *si quando invenerit hominem, & potest eum vincere, comedit eum, & postea super eum plorat.* Albertus M. Hist. Animal. lib. 24. *Crocodilus hominem quoq; cùm potest, interficit, sed eundem postea, ut dicunt quidam, deplangit.* Petrus Martyr apud *Gesnerum* de quadrup. ovip. lib. 2. pag. 14. *Crocodilum solum ex brutis lacrymari quidam tradunt.* Gesnerus l. c. *Sunt qui scribant, Crocodilum conspecto procul homine, lacrymas emittere atq; eundem mox devorare.* Levinus Lemnius lib. 4. de occult. Nat. mirac. cap. 10. p. 395. *Crocodilus, de quo proverbium, Crocodili lacrymæ, homini insidias struit ac devoratũ discerptumq; deplorat.* Franz. Hist. An. p. 289. *Solet prius corpus animalium comedere, & posteà cum lacrymis adolere caput; unde est proverbium, lacrymæ crocodili, cum quis simulat miséricor-*

ricordiam. Mercurialis apud Exc. Dn. D. Schneiderum T. 3. de Cat. c. 9. p. 372. *Cervi, apri, crocodili & apud Medicos & apud Philosophos lacrymari dicuntur.* *Heidfeldius* in Sphyng. c. 10. p. 340. *Drexel.* in Phäeth. c. 46. *Richterus* in quæst. miscell. q. 49. *Piccartus* in observ. Historico-Pol. Dec. 13. c. 1. *Schottus* Physs. curios. l. 7. p. 881. *Faber* in Lexic. *Octavianus de Tufo* Neapol. in c. 12. Eccl. p. 506. & alii.

§. II. *Negativam* qui sequuntur, vel κατὰ τὸ ῥητὸν suam exponunt mentem, ut *Deusingius* Philosophus ac Medicus clarissimus, in secundinis detectis fœtus Mussipontani sect. 3. pag. 9. *Zacutus* apud Dn. D. Schneid. l. a. *Crocodili non sunt veræ lacrymæ.* *Vossius* Theol. Gent. lib. 3. cap. 47. pag. 978. *Crocodilos aliquis dixerit flere, quia lacrymæ eorum abiere in proverbium. Sed est hoc de lacrymis fictis, non veris; nec satis constat, ecquid veri subsit fabellæ de lacrymis Crocodili simulatis.* Dn. D. *Hildebrand.* in Disp. Theol. de lacrymis Christi, Helmstadj habitâ. *B. Sperlingius* in Anthropol. Physs. cap. 5. quæst. 7. p. 273. *Crocodili lacrymæ notæ sunt. Dicunt, antequam hominem devoret, prius lacrymari. Sed ut canes, se-*

nes, feles, aliaq; bruta, voce & gestibus lætitiam declarantia, ridere videntur, verè non rident: ita & cum ejulatu ac clamore dolorem manifestant, lacrymari videntur, sed videntur &c.

§. III. Vel κατὰ τὴν διάνοιαν, *Crocodilo lacrymas* denegant, idq; eô ipso, dum *soli homini* easdem vendicant. Ita *Goclen.* in Physiol. Ris. p. 171. ubi lacrymas sic definit: *Lacrymæ* (NB) *propriè sunt guttæ aquæ, ex oculis* (NB) *hominis profluentes, ortæ ex humore excrementitio, â venis capitis ad carnem spongiosam oculorum delatæ, ibiq; collectæ.* Quanquam in *Phys. complet.* p. 1098. brutis lacrymas concedere videatur, fortean tamen ibi *impropriè* sic dictas intelligit *B. Scharffius* in Phys. Recogn. lib. 8. c. 4. p. 1022. quando fletum secundariam animæ rationis facultatem constituit, eumq; ita describit, quod sit *actus* (NB) *hominis, quo per effusionem lacrymarum indicat compressionem cordis majorem: adeoq; & singularem tristitiæ affectum attestatur.* Hinc pag. seqv. axioma subjicit. *Hominis est ridere & flere.* Conf. ejusdem *Man. Phys.* lib. 8. c. 4. p. 419. consentit *Nierembergius* Hist. Nat. lib. 3. cap. 24. p. 47. *Solus homo lacrymatur. Prima humanitatis ceremonia,*

fletus

fletus est, primum vitæ vectigal, prima lucis salutatio. Et cap. seqv. pronunciat, *lacrymas proprias affectui duntaxat rationalis naturæ competere.* Sequitur Exc. Dn. D. *Siricius*, SS. Theol. P. P. in Academ. Giessenâ Tr. de lacrym. Christi p. 57. *Sunt lacrymæ humores aquosi & serosi in cerebro venisq; oculorum contenti, qui per vehementem compressionem aut dilatationem venarum forâs erumpunt. Addo in definitione vocem vehementem, ut lacrymas veras* (NB) *quas solus homo emittit, â lacrymis brutorum animantium distingvamus.* Exc. Dn. D. *Schneider* de Cat. l. 3. c. 9. p. 370. *Nullum animal rationis expers educit lacrymas.* Eadem habet P. *Laurembergius* Acerra Philol. cent. 1. c. 75. p. 178. **Diese zwey Dinge Lachen und Weinen gehören dem Menschen eigendlich zu / und keinem unvernünfftigen Thiere.** Alios auctores taceo.

§. IV. Nos calculum nostrum adjicimus negativæ parti, statuentes, *Crocodilum verè non lacrymari.* Immò *dubitamus* adhuc, an *impropriè* saltim sumptæ *lacrymæ* ipsi sint concedendæ. Id quod priusquam confirmemus, statum controversiæ præmittemus. Sit ergo

SECTIO

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Statum Controversiæ exponens.

§. I.

CUm autem vocabula sint rerum involucra, eorum volutioni ante omnia opera danda. Quamobrem enucleandam accersimus I. vocem *Crocodilus*, de qua notamus (*ν*) *Etymologiam*. Sic *Crocodilus*, secundum *Isidorum* & *Arnoldum*, â *croceo colore* dictus est. *Vadianus* enim in *Melam*, *Petrus Martyr* & alii, *Crocodilos* plerumq; *flavo colore* esse scribunt. Sunt tamen qui vocabulum hoc *Græciæ* suos debere natales, rectius putant: idq; vel ἀπὸ τȣ͂ κρόκȣ â *croco*; vel ἀπὸ τῶν κροκῶν, à lapidibus littoralibus, & δειλάω *timeo, metuo*, derivant. Ac *illud* quidem, respectu *Crocodili terrestris*, sive *Scinci*, qui *crocum timet*. Hinc cum ad alvearia repere & mel devorare soleat, apponunt apiarii foris crocum, quo conspecto prorsus ille in fugam se recipit. Vid. de hâc sententiâ *Faber* in Lexic. *Hoc* vero ratione *Crocodili fluviatilis* vel *marini*, quia *is littora* vel arenas littorum *timet*. Vid. *Jonston.* Hist. Nat. cap. 8. pag. 200.

In ter-

In terra enim pavidus est, teste *Vario* & *Cælio Rhodig.* l. 15. 21. vel rectius quia est δειλία τῆς κρόκης, timor & terror littoris, für dem man sich fürchtet an das Ufer zu gehen und denselben zu nahen / uti videtur *Corvino* in Font. Latin. p. 182.

§. II. (2) *Homonymiam.* Sumitur enim *Crocodilus* (α) pro *monte* in Cilicia vel Siria, *Plinius* H. N. lib. 5. cap. 27. (β) pro *opido*, ut videre est apud eundem l. c. cap. 19. fol. 47. (γ) pro *herbâ*, Chamæleontis herbæ nigræ figuram habente, radice longâ, æqualiter crassâ, odoris asperi. Vid. *Plin.* lib. 25. c. 8. fol. 213. b. (δ) pro *specie* quâdam *lacerrarum*, inter sepes & macerias versantium. Conf. *Salmasius* in not. ad Solinum. (ε) pro *Crocodilo terrestri*, qui duum generum: *Alterum Scinci* nomine insignitur, de quo fusè agit *Gesnerus* l. a. *Alterum* speciali nomine caret, estq; illud, cujus squamæ ad caput vertuntur. vid. *Gesn.* l. d. (ζ) pro *Crocodilo Amphibio*, qui aliàs *fluviatilis*, vel *marinus* audit. Atq; hæc ultima significatio hic locum obtinet.

§. III. (3) *Synonymiam*, quæ variat, *Græcis* communiter dicitur κροκόδειλος. *Paulus Ægine-*

Ægineta vocat Νειλοκόδειλον h. e. fluviatilem è Nilo. Hesychius τυλην & δερμδρίτην dicit. Ægyptii χεμψὰν vel χαμψὰν, à quo Turcarum Kimsac, quod eidem indidere. *Alberto* & barbaris scriptoribus *Cocodrillus* audit. In *Arsinoitica* præfectura, teste *Strabone*, appellatus *Suchus*. Indi *Caymanem* salutant. Alii *Aquetzoallin*. Ab *Haithono* nominatur *Cocatrix*. Germani retinent suum **Crocodil**.

§. IV. II. Vocem *Lacryma* de qua itidem observamus (1) *Etymologiam*. Est enim illa origine *Græcâ*, â δάκρυον, mutato δ in λ, sicut Latini pro Ὀδυσσεὺς dicunt Ulysses. Quanq[illegible] & *Lacryma* inveniatur apud *Livium Andronicum* & *Festum*, teste *Becmanno* de Orig. L. L. p. 249. Pingitur autem variis modis. Nonnulli enim u pro y substituunt, scribentes *lacruma*, *lacrumæ*. Quæ tamen scriptio non *universalis*, sed *particularis* esse debet, h. e. non *semper*, sed *interdum* usurpanda ubi vid. magnitudo id postulat in *rebus tristibus* aut *periculosis* describendis. U enim *ejulatus & tristitiæ nota* salutatur. Ab aliis effertur cum adspiratione, *lachruma*, vel retento y, *Lachrymæ*. Ita scriptum reperitur

ho

hoc vocabulum in monimentis veterum, *Romæ in hortis carpensibus, ad portam Appiam, in Insula Tiberina, Mediolani in Templo D. Augustini &c.* Veteres enim, teste *AGellio* N.A. l. 2. c. 3. H. literam inserebant plerisq; vocibus verborum firmandis roborandisque, ut sonus eorum esset vividior vegetiorque. At verò cùm hæc scribendi ratio originem negligat, & præter necessitatem introducta sit, non adeò etiam magni æstimanda venit. Sunt, quibus y minus ad palatum. Hinc vocem *Lacrima* per I scribere malunt, utpote civitate Romanâ jam quasi donatam ... bis ea arridet scriptio, quam titulus exhi... Hæc enim fundatur in Etymologiâ nititurq; auctoritate clarissimorum Philologorum. Conf. *Becmannus* l. a. *Aldus Manutius* Epit. orthogr. p. 71. *B. Schmid.* Gram. Lat. p. 12.

§. V. (2) *Homonymiam*, secundum quam *lacryma* sumitur vel *propriè*, vel *impropriè*. *Impropriè* iterum accipitur vel *latissimè*, vel *latè*, vel *strictè*. *Latissimè* cujuslibet denotat humoris guttulas, tribuiturq; *partim* rebus *inanimatis*, *statuis* sc. *columnis* & *truncis aridis*, quibus etiam lacrymas adscribunt *Pontificii* atq; *Muhamedani*. vid. l. 1. *Atlant Mariani*,

H à Je-

à Jesuita *Gvilielmo Grumpenberg* editi p. 155. *Job. Andreæ*, è legisperito Muhamedano factum Christianum, in confusione sectæ Mahumedanæ p. 141. *Edvardum Pokokium* in not. ad *Gregorij Abul. Faraij* succinctam de Arabum origine & moribus narrationem p. 188. Partim *animatis*, & quidem *vegetantibus tantùm*. Sic *guttulæ arborum* audiunt *lacrymæ*. Sunt enim teste experientia, nonnullæ arbores, quæ guttulas, instar lacrymarum, stillant, ut *Amygdalus*, & *pinus*, aliæq; de quibus videsis *Ambrosium* T. 4. l. 3. Hexaëm. c. 17. p. 37. Scalig. Exerc. 177. p. 571. Reperitur etiam in *India* arbor quædam *Siptachora* dicta, emittens ejusmodi lacrymas, in flumina decidentes, quæ in aquâ concrescunt, unde Indi postmodum *electrum* colligunt. Conf. *historiæ Herodoto à Photio adjunctæ* p. 762

§. VI. *Latè* nomine *Lacrymarum* intelligitur *omnis aqueus humor* dissolutus, qui ab oculis dimanat. Ita *Goclen.* vocem usurpat in Phys. Complet. p. 1098. atq; sic tribuitur nonnullis animantibus brutis. Præter *Crocodilos* enim, *apri*, *Phasiani*, *cervi*, *canes* &c. flere perhibentur, uti videre licet apud *Za*

cuthum

cutbum Lusitanum Tom. 2. in Prax. Histor. lib. ult. n. 8. p. 638. it. *equi*. Ita in funere Pallantis â *Virgilio* l. 11. Æneid. v. 89. 90. equus ipsius introducitur plorans:

Post bellator equus positis insignibus Æthon
It lacrymans, guttisq; humectat grandibus ora.

Homerus etiam, Iliad. 17. equos Achillis inducit Patroclum lugentes, his verbis:

Ἵπποι δ' αἰακίδαο, μάχης ἀπάνευθεν ἐόντες,
Κλαῖον, ἐπειδὴ πρῶτα πυθέσθην ἡνιόχοιο
Ἐν κονίῃσι πεσόντος ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο.

Et alibi:

——— δάκρυα δέ σφιν
θερμὰ κατὰ βλεφάρων χαμάδις ῥέε μυρομένοισιν.
——— *Lacrymæ autem ipsis*
Calidæ ab genis fluebant in terram lugentibus.

De iisdem *Calab.* lib. 3.

οὐ δὲ μὲν ἄμβροτοι ἵπποι ἀταρβέος Αἰακίδαο
Μίμνον ἀδάκρυτοι παρὰ νήεσσι ———
Neq; immortales equi impavidi Aeacidæ
Manserunt lacrymarum expertes apud naves.

H. *Babt. Campofulgosus* lib. 1. p. 78. 79. refert, equos *Cæsaris*, antequam periret, cibo abstinuisse, clarèq; *lacrymas effudisse*. Hinc *Plinius* cap. 42. lib. 8. *amissos lugent dominos la-*

crymasque interdum desiderio fundunt, sc. equi, *Oppianus* de iisdem μέγα ςενάχεσιν. Et *Svetonius* in Jul. cap. 81. *equorum greges ubertim flere* scribit. Immò *Isidorus*: *Solius*, inquit, *equi est præter hominem lacrymari, & dolorũ affectum sentire.* quod tamen alii negant, Nam *Plinius* lib. 8. cap. 16. *leoni* etiam lacrymas adscribit, ut & *Claudianus* 2. Eutrop. canens:

——— *lacrymis torvi maduere leones.*

De *canibus* idem sentit *Calab.* lib. 3. comparans cum horum luctu Æthiopum lacrymas ad interfectum Memnonem. *Asinos* Mauritaniæ acerrimas lacrymas profudisse, memoriæ prodidit *Aelianus* c. 9. lib. 14. His addi meretur ex *Basilii* homilia de Beat. Iulita Martyre, exemplum *bovis* ad præsepe plorantis, cum socium communis laboris vidisset exstinctum vid. *Joh. Ferdinandus* Hisp. in Comm. Eccl. c. 3. p. 149. Nec non illud *avis Bistardæ*, cujus miserabilem fletum ex *Quinqverano* Episcopo descripsit *Camerarius* Cent. 2. hor. subc. c. 26. Addo alia. *Homerus* de suis avibus ait: κλαῖον λιγέως, *flebant stridulè.* Callimachus de luscinia βαρὺ κλαίουσα *flens graviter.* De eadem Sophocles:

cles: *αἰὲν ὀλοφύρεται. semper plorat*, it. οὔποτ' εὐνάζειν ἀδακρύτων βλεφάρων πόθον: *nunquam consopit luctum & lacrymas.* Hinc Virgilius 4. Georg. v. 501. luctum Orphei cum Philomelæ fletu comparat. Verba ejus hæc sunt

Qualis populea mœrens Philomela sub umbra
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit; at illa
Flet noctem, *ramoque sedens miserabile carmen*
Integrat, & mœstis latè loca quæstibus implet.

Quæ comparatio frequens est in Poëtarum scriptis. Vide *Euripidem* in Phœniss. *Calab.* lib. 12. & 7. *Oppian.* 1. Hal. & 5. *Moschum* Epitaphio Bionis, *Callimachum* in Lavacro Palladis, *Nonnum* 2. Dionys. Ab uno *Sophocle* septies repetitur, semel in Ajace, semel in Antigone, bis in Trachiniis, ter in Electra. *Homerus* bis eam usurpat Odys. 16. & 19. Atq; de his omnibus satis, vel fortassis etiam nimium multa diximus. Plura tamen qui volet de brutorum luctu, eum ad de *la Cerda* Comment. in Virgil, IV. Georg. v. 501. pag. 524. & XI. Æn. v. 90. pag. 555. ablegamus.

§. VII. *Strictè* hominibus tribuuntur lacrymæ. Neq; enim quævis guttæ, ex oculis hominibus emissæ, pro *lacrymis propriè talibus* habendæ sunt. Nam aliæ sunt *cum morbo*, aliæ *sine morbo*. De *lacrymis cum morbo* tractant *Medicorum* Scholæ docentes, eas in perpetuo & copioso guttularum fluxu consistere, quando videlicet vel ex cerebro humidiore, ex ulcere, vel etiam ex pterygii encanthidisve ablatione angulus totus ablatus est, ita ut influens lacryma amplius detineri non possit, sed ad malas delabi necessum habeat. Exemplum hujus rei exhibet *Zacutbus Lusitanus* in praxi. Hist. lib. ult. p. 639 de quadragenario quodam, qui assiduis defluxionibus humoris ad oculos in tam copiosum lacrymarum fluxum incidit biennio, ut emanante semper aquâ per caruncula lacrymales, imminui sibi visum inculcaret. Aliud de puella novem annorum refert *Petrus Forestus* lib. 11. Obser. in Schol. obs. 11. p. 18. Pertinet huc etiam suo modo continuus *Heracliti* fletus, quia is cum defectibus Physicis, ex atra bile, judice *Theophylacto*, ortis, sæpissimè fuit conjunctus.

§. VIII.

§. VIII. *Lacrymæ sine morbo* iterum non unius ejusdemq; sunt conditionis. *Aliæ* enim oriuntur ab *objecti tristis* apprehensione, & proveniente hinc commotione animi, *aliæ aliundè*. Illas *propriè*, has *impropriè* acceptis lacrymis accensemus. v. g. quando *vel* ridentes lacrymantur; *vel* quando allium, cortices malorum aureorum, aliaque acriora contrita & secta oculos petunt; *vel* quando digiti, aliave pupillam tangunt; *vel* quando pulvere aut fumo infestamur. Hujus enim modi guttulæ omnes *impropriè* dicuntur *lacrymæ*. *Dicuntur*, inquam, sed non *sunt*; dicuntur de *facto*, non de *jure*; dicuntur ita non καῖ' ἀλήθειαν, sed καῖ' ἀναλογίαν; non secundum rei *veritatem*, sed ob quandam *similitudinem*. Adeoq; prorsus à nobis hic proscribuntur, utpote qui veras tantùm proprièq; sic dictas lacrymas intelligimus.

§. IX. Sunt autem *lacrymæ*, propriè, nihil aliud, quàm *guttulæ aqueæ excrementitiæ, è cerebro in oculorum glandulas derivatæ, ex iisq; per tristitiam, in animo concitatam, constrictis à voluntate, intellectus imperio parente, expressæ ad tristitiam repræsentandam.*

§. X. *Caussa* earum *efficiens* est vel *Physica*, vel *moralis*. *Moralis* est *objectum dolorem afferens*. Huic enim definitio *causæ moralis* competit, quod videlicet interventu causæ Physicæ, per motionem realem qualemcunque ad effectum producendum concurrat, qui eidem non secus, ac si naturaliter egisset, prudentum judicio imputatur. Si dicis: *Omnem effectum causæ moralis vel bonum vel malum esse debere*; atqui *hunc neq; bonum neque malum esse*; Ergo. Resp. negando *Majorem*. Nam causa *moralis* non dicitur propter *effectum* vel *objectum*, quasi circa *actiones morales*, virtutes & vitia occupetur; sed potius, ut *Slevogtius* & *Mendoza* Disp. 8. Phys. s. 9. §. 117. loquuntur, quia in *prudentum more & æstimatione* perinde se habet, ac si physicè influeret. Nec perpetuò verum est, *causam moralem* in genere *morum* duntaxat agere, semperq; aliquid *laude* vel *vituperatione* dignum continere. Nam dum jentaculum aut merendam comedens suo exemplo alium movet, ut edat, quod facturus aliàs non erat, *moraliter* agit. At nihil hic, quod laudem & vituperationem mereatur, conspicitur. *Dicis*: moralitatem in eo esse, quod

cibus

cibus alteri, qui ad edendum movetur, vel salutaris sit, vel noxius. *Respondeo*: parum hoc ad rem facere: quippe nec ratione *moventis*, nec ratione *moti* bonitas vel malitia adest. Non *illud*: quia movens edendo, nec bonus nec malus est: neq; *hoc*, quia factum nec laude nec vituperatione dignum est. Hactenus *moralis*.

§. XI. *Causa Physica* est vel *Principalis*, vel *Ministerialis*, vel *instrumentalis*. *Principalis* tum *remota* est, tum *proxima*. *Hæc* est *tristitia* in animo concitata. *Illa* est *anima rationalis*. *Objicis*: animam rationalem esse Spiritum, ideoq; causam lacrymarum esse non posse: *Qualis* enim *causa*, *talis etiam effectus*. *Resp.* Negando consequentiam. Quandoquidem & Deus Spiritus est, propterea tamen eum mundi esse causam, negandum non est. Ad regulam autem limitandam opus distinctione est inter *causam univocam*, & *æquivocam*. *Illa* in allegato canone intelligitur, non *hæc*.

§. XII. *Ministerialis* aut est *imperans*, ut *intellectus*, qui cognito objecto tristi, voluntati lacrymas imperat; aut *parens* & *exequens*, videlicet partim *natura*, partim *voluntas*, quæ

in producendis lacrymis tam *activè*, quàm *passivè* se habet. *Activè*, dum compressionem glandularum illarum vult & efficit. *Passivè*, dum ab intellectu movetur ejusque imperio paret; aut *materiam suppeditans*, ut *cerebrum* & interdum quoq; *cor*.

§. XIII. *Instrumentalis* deniq; *carunculæ lacrymales* sunt.

§. XIV. Sed hîc magnæ se nobis efferunt difficultates, quæ tollendæ prius sunt, quàm de *materia lacrymarum* aliquid dicamus. Ac primum quidem nonnullos offendit *Imperium*, quod *intellectui in voluntatem* competere statuimus. Dicunt enim, hâc ratione tolli *libertatem*, sine qua *voluntas* non possit esse, ac ne fingi quidem. Verùm distingv. inter *imperium δεσποτικὸν* seu *berile*, & *πολιτικὸν* seu *civile*. *Hoc* intelligimus, non *illud*. Movet enim intellectus voluntatem, non *effectivè* quidem, quemadmodum Deus, qui ut causa prima influit in agentem & actionem; sed *moraliter* & per modum *suasionis*: non *inclinans* eam in id, in quod tendit; sed *ostendens* ei, quò tendere debeat. Nec *necessitas* contraria *voluntati* est. Nonne enim *necessaria præcepta* sunt, quæ voluntati exse-

quend-

quenda Deus præcepit? Ergo distinguendum inter *necessitatem mandati*, & *coactionis*. *Hanc* libertas solum tollit, non *illam*. Deinde controversiam nobis de *viâ lacrymarum* movent Medici. Horum enim alii dicunt, *materiam* lacrymarum *ex cerebro* deferri in *oculos* per *nervos opticos*; alii per *musculos* ipsos oculorum. *Valescus de Saranta* putat, ad angulum oculi prope nasum, qui dicitur *lacrymale*, venire aliquas venas â panniculo cooperiente cranium: atq; ab eo panniculo oriri conjunctivam & terminari in carne spongiosa ibi existente; ultra hoc â pelliculis interioribus certas aliquas venas per orbitas oculorum venientes terminari ad eundem locum. Et per istas utrasq; venas posse venire humores ad dictã carnem lacrymalem, ex qua fluant lacrymæ. *Plempius* rem ita exponit: *Rima illa oblonga in osseo oculi thalamo visenda, in cerebrum rectà ducit. Per hanc verò omnium Anatomicorum consensu docetur serosa cerebri humiditas ad oculos derivari.* In *Schneideri*, Professoris Medici Wittebergensis, libris de Catarrh. me aliquando legisse memini, oculos *exsudare lacrymas*, hinc *lacrymationem* etiam vocat *exsudationem*.

nem. Cui quidem ſententiæ calculum meum addere nolim, propterea quod non videam, quomodo oculus ſalvus ac illæſus eſſe poſſit, tot nonnunquam lacrymis ejus ſubſtantiam permeantibus, quæ humida non tantum, ſed etiam *ſale* ſunt permiſtæ. Ut taceam, quod non *fruſtra* glandulas illas formaverit ſapientiſſima natura; verum eo fine ut arceant ab oculis inundationes. Rectius igitur ſenſiſſe videtur *B. Sperlingius* dum primum lacrymarum fluxum â cerebro deduxit. *Duo*, inquit, *in coctionibus cerebri excrementorum procreantur genera, alterū craſſum alterum tenue. Craſſum per nares & palatum excernitur, ſi magis tale; ſin minus, ad aures ablegatur. Tenue vel vapor, vel humor eſt. Vapor per cranii ſuturas exit. Humor in oculorum glandulas detruditur*, & per conſtrictionem â receptione ſpeciei, animo triſtitiam adferentis, obortam, forâs propellitur. Expreſſa hâc materiâ aquoſâ, in carunculis illis contentâ, ſuppetias it mœrentis *cor*, & vapores, quibus infeſtabatur, per *arterias* illas *corotidas ſaporiferasq;* in *cerebrum* defert, ubi poſtmodum congregantur, condenſantur & cùm in alias corporis partes, tum in

gla

glandulas lacrymales derivantur. Hæ igitur glandulæ prius ex oculis destillant humorem, quem habent ex *tertiæ concoctionis* excremento. Sed eo exhausto, imbibunt humorem proximum á cerebro diffluentem, ac pariter eundem exsudant. Quæ humoris copia est causa, *cur tam longo tempore suffi-ciant homines in lacrymas*. Conf. *Vossius* Theol. Gentil. lib. 3. cap. 47. p. 979, *Schneiderus* quidem l. a. p. 337. hæc non posse fieri putat 1. quia *illæ carunculæ sint dissita à cerebro*, nec 2. *magna vasa ad eas tendant* 3. quia *glandulæ perexignæ sint & multum humiditatis in se coacervare nequeant*. 4. quia *venæ tantum sanguinem ab oculo avehant, non autem ad illum deferant*, 5. quia *difficilis sit transitus*. 6. quia *aliàs homo tam multas lacrymas profundere non possit*. Verùm hæc tanta non sunt, quanta quidem *Schneidero* ejusq; similibus videntur. Nam in *primo* & *secundo* nulla est connexio. In *tertio* confunditur *successivum* cum *simultaneo*. Licet enim magna humorum copia glandulis istis *simul* inesse non possit; *Successivè* tamen iis se insinuat. *Quartum* non admittit *circulatio sanguinis*, qui it modo, modo redit. *Quintum* difficultatem

tatem *fingit*, quæ *non est*. In *sexto* denique *separantur* ea, quæ potius *conjungenda* sunt. Neq; enim *solum cerebrum* sufficit ad *diuturnum lacrymarum fluxum*, sed alterius operam requirit, *cordis* videlicet, aut potius *sanguinis*, plus humorum advehentis.

§: XV. *Materia* itaq; lacrymarum *aqua* est. Intelligo autem *materiam in qua*, non *ex quâ*. *Hæc* enim solis *corporibus* tribuenda: *lacrymæ* verò, quæ tales, *corpora* non sunt, sed *accidentia* tantum. Aliud enim *aqua*, aliud *lacryma* est. Et quemadmodum *pluvia* substantia non est, ita nec *guttula*, quam ex oculis exprimit tristitia. In hoc enim *tertio* conveniunt inter se *lacryma* & *pluvia*, itemq; *sudor*, quorum omnium *Subjectum*, *aqua* est, non *pura*, sed *impura*, & *sale* permixta. *Sale*, inquam, hoc est, ipsa *Salis substantia*, non *qualitate* tantùm, ut multi opinantur.

§. XVI. *Materiam* sequitur *forma*, quæ vel *essentialis*, vel *accidentalis*. *Essentialis* non quidem *Physica*, quæ est altera pars compositi; sed *Metaphysica*, quæ est ipsa rei essentia: nec *strictè* accepta, quatenus ad solas substantias corporeas refertur; sed *latè*

intel-

intellecta, prout ad accidentia quoq; pertinet, nobis est ignota; *accidentalis* verò in *stillatione* illâ *externa* consistit. Hinc patet, *lacrymas non* esse *guttulas, cerebro vel glandulis inhærentes*. Adest enim ibi sola *lacrymarum materia, forma* autem abest; sed tum demum hoc nomen merentur, quando per tristitiam exprimuntur.

§. XVII. *Finis* restat, qui est *repræsentatio tristitiæ*, animo conceptæ. Hâc qui caret veras effundere lacrymas non est putandus. Carent autem omnes, qui vel propter *morbum*, vel præ nimio *gaudio* oculos rigare solent; imprimis *dolosæ mulieres*, quæ

ut flerent, oculos erudière suos.

§. XVIII. Atq; ex his videre licet, quod *solus homo propriè lacrymas profundat*, quia solus *anima rationali* est præditus; quia solus inter animalia *potentiam ridendi* habet. *Goclenius* hanc affert rationem, quod *solus homo potest venas angulorum oculi comprimere compressione vehementi.* Quærenti verò, *cur solus homo possit facere hanc vehementem compressionem?* Respondet, *quia solus homo vehementer mœret, & solus homo vehementer aliquid vult.*

§. XIX.

§. XIX. Removenda igitur ab hoc actu bruta sunt, quæ si *lacrymari* videntur, nil nisi *guttulas* emittunt, ideoq; ne *Crocodili* quidem *lacrymas* probamus.

§. XX. Est autem *Crocodilus* (ut de eo etiam pauca dicamus) *animal quadrupes oviparum*, instar lacertæ, quam etiam per omnia, si *caudam* exceperis, referre, *Albertus* auctor est. Est *Amphibium*, cui in aqua terraq; communis est vita. Quamvis etiam *stata* observet *tempora*, nec *indiscriminatim* modo *terram* colat, modo *in aquis* degat. Nam, si *Aristoteli*, *Plinio*, *Herodoto*, *Marcellino*, *Solino* & aliis à *Gesnero* l. d. allegatis auctoribus fides habenda, plerumq; *diei* in *sicco* agit, sed totam *noctem* in *flumine*. *Patria* ejus est *Ægyptus*, non tamen sola, sed & *Indiam*, imo *Americam* quoq; inhabitare, ex veterum & recentiorum testimoniis patet. Vid. *Plin.* l. 5. c. 1. *Strabo* l. 17. Geogr. *Solin.* in Polyh. c. 25. *Curtius* l. 8. c. 9. *Scalig.* ad l. 2. Arist. de Anim. *Ursin.* in analect. sacr. vol. 2. l. 1. c. 4. *Duo* verò sunt, quæ huic animali præ cæteris peculiaria, *Herodotus*, *Solinus*, *Marcellinus* tribuunt: *unum*, quod ipsi soli *superior maxilla mobilis* videatur, inferior planè immobilis

bilis. *Alterum* eſt, quod nullum aliud, præter hoc, animal â tam *parvo initio in tantam vaſtitatem* excreſcat. Parit enim ova paullò majora anſerinis, & excreſcit in longitudinem 17. aut etiam 20. ulnarum. Cœterum *duriſſima cute* dicitur eſſe præditum in *dorſo*; in *ventre* verò *molliſſimâ*. *Oculos* ipſi tribuunt *ſuillos*, & *viſum* in *aquâ* aut planè *nullum*, aut *hebetem* tamen; in *terrâ* autem *acutiſſimum*. *Linguâ* deſtitui, *Ariſtoteles* & cum ipſo alii benè multi exiſtimant; ſed fallunt & falluntur egregiè. *Latet* enim in Crocodilo lingua, quia *tota adhæret*, adeoq; immobilis. A *latentiâ* verò ad *abſentiam* N. V. C. vid. *Rondelet.* de Amphib. c. 5. *Proprietates* crocodilinæ ſunt *crudelitas*, *calliditas* & *timiditas*, de quibus alio loco.

§. XXI. Tantùm unicum adhuc circa ſtatum *controverſiæ* monemus. Nimirum, nos non loqui de *Lacrymis crocodili* παροιμιχῶς ſive *proverbialiter* ſumtis, quatenus tribuuntur illis, qui *ſimulant*, ſe graviter eorum dolere vicem, quibus tamen ipſi perniciem & interitum machinantur. Sic *Lacrymas Nabarzanis & Beſſi* apud Darium *crocodilinas* vocat *Drexel.* part. 2. Aurif. c. 4. p. 130.

p. 130. vid. *Curtius* l. V. prope fin. Eodem titulo insignit etiam insignis *Siricius* l. a. *Lacrymas Bassiani Imperatoris* & *Casrois*, Persarum Regis, itemq; *Amurathis III.* de quibus evolvatur *Procopius* l. 2. de Bell. Perſ. p. 28. *Joh. Rosinus* in app. Chron. Turc. ad ann. 1575. p. 97. Sed de his omnibus solliciti jam non sumus; Verum unicè hic disputamus de *crocodili lacrymis* φυσικῶς sive *naturaliter* consideratis, prout ex ipsius crocodili naturâ emanare vulgò, malè tamen, uti mox patebit, statuuntur.

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Veræ sententiæ argumenta proponens.

§. I.

CОnstituto jam *controversiæ statu*, ad ipsam nostræ sententiæ probationem accedimus. *Lacrymas* igitur *propriè* sic dictas crocodilo non posse convenire, confirmamus (1) ex *causæ efficientis* remotione. *Ubicunq; causa efficiens verarum lacrymarum non reperitur, ibi nec dantur lacrymæ propriè dictæ:* atqui *in Crocodilo causa efficiens verarum*

um lacrymarum non reperitur; Ergò. *Major* est immotæ veritatis. Nam *negatâ causâ, negatur effectus*. Cum *nihil poßit esse causa sui ipsius*. *Minor* probatur: Quicunq; destituitur animâ rationali, adeoq; etiam ejus facultatibus, intellectu & voluntate, ille destituitur causis efficientibus lacrymarum: atqui de crocodilo verum prius; Ergò & posterius. *Propositio* ex sect. præced. liquet. *Assumptum* verò patet, & (a) quidem de *anima rationali*: Quicquid enim est forma hominis specifica, illud nulli bruto, & per consequens nec crocodilo, verè tribui potest: atqui anima rationalis est forma hominis specifica; Ergo. (b) de *intellectu*: Q. omnes res cognoscere & de cognitis discurrere judiciumq; formare nequit, ille caret intellectu: atqui Crocodilus omnes res cognoscere & de cognitis discurrere judiciumque formare nequit; Ergò. *Major* fundatur in formali ratione intellectus. *Minor* hoc *Prosyllogismo* stabilitur: Q. anima est materialis, illa non potest res omnes, materiales & immateriales, cœlestes & æternas cognoscere, de iis discurrere, judicare: alias enim *effectus esset nobilior sua causa*; quod

absurdum. Atqui crocodili anima est materialis, (puta, ratione *existentiæ*) ; Ergo. (c) *de voluntate.* Q. voluntate præditum est, illud habet libertatem contradictionis & indifferentiam, quâ actum aliquem potest elicere aut suspendere, positis etiam omnibus ad agendum requisitis. atqui crocodilus non habet hanc libertatem &c. Ergo. *Major* suâ luce lucet. *Liberum* enim illud *arbitrium* â voluntate *realiter* non differt, sed ipsa *voluntas* est, quatenus *agere* & *non agere* potest. *Minorem* qui negat, contrarium probet. vid. *B. Sperl.* Anthrop. l. 1. cap. 3. & 4.

§. II. Atq; hoc est princeps & palmarium pro nostrâ sententia argumentum, quod adversarios etiam adeò premit, ut, quomodo sibi consulere possint, non constet. *Schottus*, qui operosus in *Sperlingio* refutando ne tantillum quidem solidi ad illud respondet. Tantum hæc dicit: *Non ut risibilitas seu ridendi facultas, ita & flendi potestas rationalitatem sequitur*, Physs. Curios. l. 7. p. 883. Id quod quidem facile ipsi largimur. Neque enim *B. Sperlingius*, neq; nos cum eo docemus, quod fletus eo modo, quo risus, rationali-

nalitatem sequatur. *Risus* enim *homini*, *ut sic*, competit; non item *fletus*, quippe qui respicit potius *externam* miseriam, *internamque* tristitiam, in quam homo, proh dolor! lapsu Adami fuit conjectus.

§. III. Alii verò aliter rem aggrediuntur, & *Minorem* allati argumenti falsitatis accusant, dicentes, *bruta*, & hæc inter quoq; *crocodilum*, utiq; *ratione* pollere. Ita jam olim docuēre *Plutarchus* in Opusc. pecul. & ante ipsum *Anaxagoras*, *Plato*, *Diogenes*, teste eodem l. 5. de plac. Philos. nec non *Democritus* ap. Arist. l. 1. de Anima. Asseruerunt idem *Plinius* H. N. l. 8. c. 7. *Strabo* l. 15. *Porphyrius* apud *Nieremberg*. l. 3. H. N. c. 10. *Galenus* sub initium exhort. ad Art. Lib. Studios. *Laur. Valla* in Dialect. *Bodinus* Theatr. N. l. 4. *Huartus* Scrutin. ingen. c. 6. & omnium novissimè *Hieronymus Rorarius*, Exlegatus Pontificius, pecul. tr. *Quod animalia bruta melius utantur ratione, quàm homines*. Argumenta verò, quibus suam confirmatum eunt opinionem, petunt tum ab insigni brutorum *sagacitate*, *providentiâ* aliisq; habitibus; tum â *capacitate disciplinæ*; tum â *loqvelâ*; tum â *risu* &c. sed distingv. (1) inter *naturalem*

instinctum, & *animæ rationalis ductum* : inter *phantasiæ exercitium*, & *rationis usum*. Multa & mira præstant crocodili, præstant etiam alia bruta bene multa: sed *instinctu naturæ*; non ex *intellectus dictamine*: non *rationis beneficio*; sed *phantasiæ*, aliarumq; facultatum animalium *exercitio*. A *naturæ* autem vel *phantasiæ operationibus*, ad *rationis usum* N. V. C. (2) Dist. inter *assvefactionem*, & *rationem*: inter *rationem brutorum*, & *doctorum*. *Promptitudo* illa *adventitia* non ex *ratione*, sed ex assiduâ *assvefactione* oritur. Et opera, â brutis præstita, sunt quidem *intelligentiæ* & *rationis*: at non *brutorum*; sed *eorum*, qui bruta *docuerunt*, rationem redolent. (3) Dist. inter *sermocinationem*, & *sermonis imitationem*. *Hæc*, non *illa*, brutis competit. Vide *Vossium* l. 3. Physiol. Christ. c. 41.

§. IV. (2) Ex unâ eademq; *risus & fletus inessendi* ratione. *In quocunq; Subjecto est fletus, in eo etiam est risus : atqui in Crocodilo non est risus*; Ergò. *Majorem* contrariorum natura fulcit. *Contraria* enim *commune postulat subjectum*, dicente ac docente *Aristotele* X. Met. c. VI. c. 14. Sic *lætitia* & *tristitia*, *amor* & *odium*, *spes* & *desperatio*, *desiderium* & *fuga*

fuga, timor & *audacia*, ſunt *in anima ſenſitiva.* Jam ſubſumatur: *Ridere & flere ſunt actus contrarii*; Sponte ergò ſequitur: E. *Commune poſtulant ſubjectum.* Tale autem non *crocodilus*, neq; ullum *brutum*, ſed *ſolus homo* eſt. Solus homo ridet,& ſolus homo lacrymatur.Rationem ſequitur riſus,ut perpetuus & individuus comes; illâ igitur cum deſtituatur crocodilus, carebit etiam hoc ipſo. Atque hinc ſimul eluceſcit *Minoris* veritas. Quicquid enim non eſt rationale, non eſt riſibile: quia rationalitas eſt cauſa proxima & neceſſaria riſibilitatis: Atqui Crocodilus non eſt rationalis; Ergo.

§. V. Hic iterum contra nos inſurgunt adverſæ partis defenſores, *Majorem* dicti argumenti everſuri. Hos inter primas tenet *Schottus* l. c. p. 883. *Dicere autem*, inquiens, *contraria requirere commune ſubjectum, plus quam errare eſt in Philoſophia, ſi univerſaliter enuncietur: Contraria ſunt frigus & calor, igni competit calor, non frigus; nivi frigus, non calor.* Verum diſt. inter *Contraria*, quæ *ab eodem principio interno* oriuntur; & inter illa, quæ â *diverſis principiis* fluunt. Maxima illa Philoſophica non loquitur de *his*, ſed de

illis. Secus enim *Aristot.* manifestè sibi ipsi contradiceret, dum Categ. c. 11. ita pronunciat, *Contraria non possunt esse simul in eodem Subjecto*, puta ea, quæ *diversa* agnoscunt *principia*, uti sunt *calor* & *frigus*. Cum autem *risus* & *fletus* hujusmodi *co... ia* non sint, sed ab *uno eodemque principio* prim... io procedant, recte exinde colligimus, quod subjectum, in qu... m non inest, altero quoque destitua...

§. VI. (3) ... *objectorum flebilium* conditione. *Si Crocodilus verè lacrymas profunderet, defleret ea, quæ sunt in primo gradu flebilium: atqui posterius est falsum; Ergo & prius.* Majoris connexio satis firma. Minorem etiam comprobat experientia. Ecquis enim unquam crocodilum interitum parentum & filiorum deflentem vidit? Quis in Historico, fide digno, legit? Quis ab exteris id relatum accepit? Hæc tamen maximè flebilia esse, nemo, spero, futurus est, qui inficias eat.

§. VII. (4) Ex *cœterorum animantium brutorum* consideratione. *Si fletus competeret Crocodilo, tribuendus etiam esset reliquis brutis omnibus*: atqui *consequens est falsum*:

Ergo

Ergò *&* *antecedens.* *Majorem* probamus, quia *fletus* inesset crocodilo aut propter *formam specificam*, s. quatenus est *animal*: At non *priori* modo: Quicquid enim *crocodilo qua tali* proprium est, illud *ipsi soli*, *totiq́ speciei*, *&* *semper* inest. Et sic homini *aut* fletus denegandus, *aut* ipsi adscribenda crocodili natura specifica, quod utrumq́; cum sit absurdum, quid? absurdissimum; neq́; prius erit admittendum. Quare relinquitur, lacrymas illas crocodili (NB, loquimur *hypothetice*) ex ipsius *natura generica* profluere, & sic ipsi competere, non quatenus est *crocodilus*, sed quatenus est *animal*. Quicquid autem *crocodilo*, *qua animal* est, competit, illud nulli etiam cœterorum animalium omnium est denegandum: quia à τῷ *quatenus reduplicativo ad* τὸ *omne V. C.* nisi fortean animalis essentiam inferioribus suis *analogice* tribuere, eamq́; alteri *magis*, alteri *minùs* inesse, falsissimè asserere velles. Nunc verò subsumatur, secundum priorem hypothesin: Atqui fletus *crocodilo*, *quâ animal* est, competit. Nonne ergo sequeretur: Ergo *fletus nulli cæterorum animantium* omnium est denegandus? Et sic probatum dedimus

Majoris connexionem. Restat nunc *Minor*, cujus veritas tantum abest, ut in dubium vocetur, ut potius ab ipsis adversariis libenter meritoq; concedatur, atq; confirmetur. Quamobrem in ea stabiliendâ prolixi esse nolumus, sed potius, confirmatâ nostrâ sententiâ, ad *contraria argumenta* examinanda pergimus. Esto igitur

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Adversariorum Objectiones componens

§. I.

OBjiciunt autem (1) vulgatum illud proverbium: *Lacrymæ crocodili.* Cui addunt alii *emblemata* varia. Sic *Aresius* hæredem avidum, sed mortem defuncti lugentem, descripturus, crocodilum hominem devorantem pingit, hoc addito lemmate: *Plorat & devorat* vid. *Masenius* Spec. imaginum verit. occult. l. 5. c. 9. p. 504. n. 22. *Camerarius* Cent. IV. Embl. 67. eodem utitur in amico fucato delineando, cum hac Epigraphe:

Non

Non equidem ambigui dictis mihi fidere amici
Certum est, ut lacrymis nec crocodile tuis.

Pertinent huc *comparationes* â *lacrymis Crocodili* ductæ, de quibus vid. *Piccartus* Dec. XIII. c. 1. *Drexel.* in Phäet. c. 46. in Aurifod. part. 2. c. 4. itemq; *Hieroglyphica*, schemate crocodili hypocritam delineantia. vid. *Pierius* in Hieroglyph. miscell. p. 118.

§. II. Resp. (α) Multa *dicuntur*, quæ tamen non *sunt*. Hinc â *parœmiis*, *vel emblematibus*, *aut comparationibus* itemq; *Hieroglyphicis*, ad *rei veritatem*, præsertim *in Physicis*, N.V.C. id quod multis ostendi posset, nisi alia dicenda restarent. (2) Dist. inter *originem proverbii primam*, & *â primo ortam*, *mediatam* & *immediatam*. Hoc *proverbium* non *primò* & *immediatè* inde ortum, quasi crocodili lacrymas ex *oculis* profunderent; sed ex eo potius natum videtur: cum prisci experientiâ compertum haberent, crocodilum famelicum haustas ore aquas in semitas evomere, ut homines, aquatum egredientes, in lubricâ viâ labantur, & facilius corripiantur; hinc *guttulas illas* vocarunt *crocodili lacrymas*, easq; post-

postmodum simulatoribus adscripserunt. Has autem deinceps alii, rerum physicarum minus periti, in proprio sensu acceperunt, existimantes, *crocodilum verè* ex oculorum glandulis *lacrymas* emittere. Atque huic sententiæ favere etiam videtur *Nieremb.* H. N. Lib. VII. c. 54. p. 124.

§. III. (2) Altioris videntur esse indaginis ea, quæ *Schottus* l. a. p. 882. reponit. Ita enim ille: *non video*, inquit, *cur soli homini lacrymæ concedantur, brutis vero animalibus omnibus denegentur: dolent enim bruta, & tristantur, ut experientia quotidiana docet; & his affectibus agitata profundunt subinde aquas ex oculis; non secus ac homines, ut constat ex relatis exemplis.* Argumentum forte esset tale: *Posita causa, ponitur effectus*: atqui *in brutis, & per cons. etiam in crocodilo ponitur causa lacrymarum*; Ergò *etiam ipsæ lacrymæ.*

§. IV. Resp. (a) limitando *Majorem*; Positâ causâ, sc. *adæquata* & *sufficienti*, ponitur affectus. Sic limitatâ Majore (b) *Minorem* negamus. *Objectum* enim dolorem afferens & *tristitiæ* affectus non sunt *adæquata*, verùm *inadæquata* & *insufficiens* lacrymarum *causa*. Præter hanc enim ipsa quoq; *anima rationalis* quam

lis quàm maximè necessaria est, quippe sine qua *vehemens* illa *carnis lacrymalis compressio* fieri nequit.

§. V. (3) Argumentantur ab *analogia cæterorum brutorum* : *Si equi*, *elephanti*, *boves*, *canes*, *cervi*, *leones*, *asini*, *delphini*, *avis Bistarda &c. lacrymas profundunt*, *nil prohibet*, *quo minus eadem crocodilo quoq; tribui possint*: atqui *prius est verum*; Ergò *& posterius*. *Minorem* experimentis variis roborant. *Equos* lugere amissos dominos, lacrymasq; interdum desiderio eorum fundere, tradunt *Plinius* lib. 8. H. N. c. 24. *Isidorus*, *Virgilius* l. a. *Homerus* l. a. *Textor*, *Cardanus* apud *Schottum* l. 8. p. 1032. *Elephantem* lacrymantem introducit *Nieremb*. l. 9. H. N. c. 92. ex *Gothardo*. *Bovis* plorantis exemplum recitavimus supra. *Canum*, *cervorum &c.* lacrymas recenset *Zacuthus Lusitanus* l. a. *Leoni* fletum adscribunt *Plinius* l. 8. c. 16. *Claudianus* & *Lucretius*. Mauritaniæ *asinos*, ex itinere fatigatos, acerrimas profudisse lacrymas, auctor est *Ælianus* l. 14. de Anim. c. 10. *Delphini* flentes describuntur ab *Aldrov*. l. 1. de Cetis. c. 7. de ave *Bistarda* similis argumenti profert historiam Camerarius l. a.

§. VI.

§. VI. Resp. (1) Negamus *Minorem*, & (2) dist. inter *guttulas aqueas*, & *veras lacrymas*: inter *lacrymas ipsas*, & inter *earundem materiam*; inter *lacrymas veras*, & ob *similitudinem ita dictas*: inter *fletum*, & *gemitum*: inter *lacrymas à principio naturali*, & *præternaturali* excitatas. Commemorata exempla nil aliud evincunt, quam quod *guttulæ aqueæ* profluxerint ex oculis nonnullorum brutorum: sed â *guttulis* ad *lacrymas*, à *genere* ad *determinatam speciem* N. V. C. Et humor ille tantùm fuit *materia*, in qua aliàs repræsentari solent *lacrymæ*, non verò *lacrymæ ipsæ*: Habuit *similitudinem lacrymarum*, non *identitatem* seu *quidditatem* earum. Placent verba *B. Sperlingii* in Antrop. l. 1. c 5. p. 274. *Ut canes, feles, aliaq; bruta, voce & gestibus lætitiam declarantia, ridere videntur, verè non rident: Ita & cum ejulatu & clamore dolorem manifestant, lacrimari videntur, sed videntur. Non quivis humor ex oculis emissus lacryma est. Simile quid est, lacrymæ veræ non sunt. Sicut & arboribus lacrymas assignant, quæ nil nisi humores guttatim proliciti sunt, sine affectus declaratione. Affectum verò exprimat lacrymatio, & ipsam animi sequatur tristitiam.*

tiam. Vide, quæ habet *Nieremb.* H. N. l. 3. c. 23. p. 47. a. Adhæc ingens discrimen est inter *gemitum*, & *fletum*, annotante *Popma* l. 3. differ. verb. *fletus* enim est remissio quædam animi dolentis cum profluvio lacrymarum voluntariarum; *Gemitus* verò est acclamatio quædam lamentatioq; citra effusionem lacrymarum. *Hic*, non *ille* brutis competere potest. Quod si tamen *gemendo* nonnunquam humores emiserint ex *oculis*, statuendum censemus, illos non *à gemitu quà tali* & *per se*, sed *per Accidens*, nimirum, vel ex *redundantia pituitæ*, vel *saniei*, vel ex alio *affectu cum gemitu conjuncto*, esse ortos. Accedit, quod multa brutis contingant *singularia* & *præternaturalia*, quæ ex circumstantiis probè sunt cognoscenda. Neque (4) ultimò exempla omnia rectè sese habent. *Elephantum* enim *lacrymæ* admodum *incertæ* sunt, & *fabulosæ* multis videntur. Quemadmodum etiam *cervorum guttulæ* non omnibus æquè placent. *Alii* enim eas prorsus negant, ut *Rollenbagius* in glaubw. Lüg. 10. *Lauremberg.* Accer. Phil. cent. 2. *Scribonius*, & ex eo Excell. Dn. D. *Schneider* l. a. qui nil nisi *sordes* eas esse dicit. *Alii* contra affir-

affirmant, ut *Bauhinus* Tr. de lap. Bezoar. c. 7. *B. Sennert.* Epit. scient. Nat. l. 5. c. 4. p. 436. quam tamen litem in præsenti nostram facere nolumus. Sic & *equi*, *delphini*, *avis Bistarda* &c. non lugent *propriè* & *plorant*; sed *gemere* potius dicendi sunt.

§. VII. At *quaris*: Num *lacrymæ*, saltim *analogicè* tales, crocodilo sunt concedendæ? Resp. Si intelligis *analogiam attributionis* simpliciter *negamus* quæsitum: quia hæc *analogia* veritatem rei non destruit, sed adstruit. Sin verò *analogiam proportionis*, evolvenda prius quæstionis ambiguitas, quàm respondeamus. Aut enim per eas intelligis *guttulas* illas aqueas, ex *ore* crocodili effusas, quas *lacrymas crocodili* dictas fuisse ex §. II apparet, & sic *affirmamus* ζήτημα; aut intelligis *guttulas*, ex *oculis* stillantes, & hoc modo *negamus*, vel tamen *dubitamus*. Nam (1) *nullum* fide dignum lacrymarum crocodilinarum ex *experientia* afferri potest *testimonium*; cum tamen sit ejusmodi res, quæ sensibus est perceptibilis. Hinc (2) de crocodilo multi ac graves auctores, *Physici* & *Historici*, *vetustiores* ac *recentiores* ex professo quidem egerunt; Sed *lacrymarum* tamen eju-

ve-

vel nullam, vel modicam mentionem fecerunt. *Aristoteles* ne χρῦ quidem de iis habet. *Plinius secundus*, qui aliàs multas fabulas historiæ suæ naturali intexuit, prorsus eas ignorat. *Herodotum* itidem earum cognitio fugit. Neq; *Diodorus Siculus*, aut *Solinus* quicquam de iis scriptum reliquere. Sic & *Ælianus*, qui minutissima ferè quæq; persecutus est, lacrymas crocodili alto silentio præterit. *Albertus*, *Martyr*, *Gesnerus* & cœteri, nonnisi ex aliorum relatione sapiunt, & semper, ad nauseam usq;, repetunt suum *Dicunt*, *Ajunt*, *Ferunt*, *Perhibent*. *Scaliger* & *Cardanus*, maximi ambo viri, quæ de animalibus perscripsere passim, haud proletaria sunt: at nihil continent, quod patronis lacrymarum crocodilinarum faveat. *Joh. Eusebius Nieremb.* quoq; & *Jonstonus* silentio suo rem suspectam reddunt. Et quis est, qui unquam scribere ausus fuerit: *Vidi crocodilum lacrymantem.* Relata audiunt, auditaq; referunt, & cum facile credant, facile etiam decipiuntur. Vides ergo, non levem nobis parere scrupulum *silentium auctorum*, præprimis *vetustiorum*, eorumq; qui *ex professo* de crocodilo egerunt: Cum verò simi-

 le sit,

le sit, quod, si lacrymæ crocodilinæ tum temporis notæ fuissent, eas utiq; scriptis suis (aliàs multa falsa continentibus) inseruissent. Præterea (3) etiam nos movet auctorum circa lacrymas crocodili *dissensus*. Dissentiunt enim *tum* in *objecto*, quod deflere dicuntur crocodili; *tum* in *circumstantia temporis*, quando lacrymas effundant; *tum* in exponendâ *causâ*, ob quam plorent. *Objectum* alii constituunt *solum hominem*, ut *Asterias*, *Albertus*, *Gesnerus*, *Octavianus de Tufo Neapolitanus*, *Levinus Lemnius*, *Faber*, *Schottus*; alii præter hominem *bruta* quoq;, ut *Richterus*, & *Franzius*. *Tempus* alii definiunt, *ante hominis mortem*, ut *Gesnerus*, *Faber*, *Schottus*, *Calepinus*, *Heidfeldius*, *Drexelius*; Alii *post* eam, devorato sc. humano corpore, sed solo capite adhuc residuo, ut *Asterias*, *Albertus*, *P. Martyr*, *Franzius*, *Octavianus* & apud eundem *Physiologus*, & ex eo *Vincentius* & *Richterus*. *Causam* alii consistere volunt in *ossium capitis emollitione & fractione*. Ita videtur *Octaviano de Tufo* in cap. 12. Eccles. v. 16 p. 506. Eandem mentem tenet *Martyr* l. a. & *Wendelinus* in Admir. Nili c. 16. Alii pro *causâ finali* istius fletus venditant *crocodili commi-*

commiserationem, uti *proverbium*, *emblemata* aliaq; ostendunt; Alii deniq; propter *contristationem ob capitis macilentiam* lacrymas fundi existimant. Hanc sententiam fovet *Asterias* apud *Photium* in Biblioth. p. 820. Τοὺς Νιλώους κροκοδείλους μιμεῖσθε, οὓς φασι ταῖς κεφαλαῖς ἐπιθρυνεῖν τῶν ἀνθρώπων, ὧν ἔφαγον, καὶ δακρύειν ἐπὶ τοῖς λιψάνοις τῶν φόνων οὐ μετάνοιαν τῶν γεγεννημένων λαμβάνοντας, ἀλλὰ τὸ ἄσαρκον τῆς κεφαλῆς (ἐμοὶ δοκεῖν) ὀδυρομένους, ὡς εἰς βρῶσιν οὐκ ἐπιτήδειον. En egregium adversariorum nostrorum *dissensum*, qui ipsam rem admodum incertam reddit. Deniq; (4) & hoc dubitandi ansam præbet, quod adversarii asserant, *homines appropinquantes à crocodilis devorari*. Si hoc, ecquis, quæso, unquam lacrymas crocodili observare potuit? Certe hoc ipso convenire, ferè videntur cum iis, qui basiliscum visu homines enecare scribunt, quibus ita *Bodinus* Theatr. Nat. l. *3*. p. 306. *cui visus est unquam, si aspectu solo necat?*

CAPUT III.
DE
CATULIS URSARUM.

QVÆSTIO:
An Catuli Ursarum nascantur informes ac imperfecti?

SEntentia affirmans. negans. Catulus unde. Homines Catuli. Vocis Ursa *Etymologia, Homonymia, Synonymia. Definitio Ursæ. Distinctiones ad statum Controversiæ. Argumenta negantis sententiæ ab experientia, generatione, Causa partium formandarum, naturæ intentione, absurdo. Objectionum solutio. Catuli canum non sunt cœci.*

SECTIO I.
ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,
Auctorum sententias exhibens.
§. I.

IN *duas*, circa datam quæstionem, Auctores scinduntur *classes:* altera *affirmativam, negativam* altera defendit sententiam. Illam jam olim docuêre *Plutarchus* περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας, *Aristoteles* Hist. Anim. lib. 6. cap. 30. cujus Græca verba ita sonant:

nant: ἔλαττον μὲν γὰρ γαλῆς τίκτει, μεῖζον δὲ μυὸς, καὶ ψιλὸν καὶ τυφλὸν, καὶ σχεδὸν ἀδιάρθρωτα τὰ σκέλη καὶ τὰ πλεῖστα τῶν μορίων. Secutus hos est *Plinius* lib. VIII. cap. XXXVI *Hi* (sc. catuli ursarum) *sunt candida informisq; caro, paulo muribus major, sine oculis, sine pilo: ungues tantum prominent: hanc lambendo paulatim figurant.* Plinium imitatur ejus Simia, *Solinus Polybist.* c. 39. p. 119. *Lucinæ* illis, inquiens, *properantius tempus est, quippe uterum trigesimus dies liberat; unde evenit, ut præcipitata fœcunditas informes creet partus. Carnes pauxillulas edunt, quibus color candidus, oculi nulli, nulli pili, & de festina immaturitate tantùm rudis sanies, exceptis ungvium lineamentis. Has lambendo sensim figurant, & interdum ad pectora eas fovent, ut assiduo incubatu calefactæ animalem trahant spiritum; interea cibus nullus.* Calculum suum huic sententiæ addunt quoq; *Pollux* lib. 5. cap. 25. sect. 2. ἡ ἄρκτος τίκτει μὲν σάρκα, πλάττει δὲ καὶ ἀρθροῖ τὸ γεγέννημα τῷ στόματι, καὶ πρὸς εἶδος ζώου τὰ μέλη τυποῖ. *Ælianus* lib. 2. de Animal. cap. 19. *Ursæ partus ab initio prorsus informis est, ut ne agnosci quidem posset, deinde à matre lingvâ fingitur, & sinu gremioq; fovetur. Oppianus*

nus apud *Gesn.* de Quadrup. l. 1, p. 1069. *Carnem parit* ἄσημον, ἄναρθρον. *Isidorus* lib. 12. Orig. cap. 2. *Ursus fertur dictus, quod ore suo formet partes. Nam ajunt eos informes generare partus, & carnem quandam nasci, quam mater lambendo in membra componit. -- -- Sed hoc immaturitas partus fecit, deniq; vicesimo die generat. Unde evenit, ut præcipitata fœcunditas informes procreet. B. Ambrosius* lib. VI. Hexaëm. cap. 4. *Galenus* lib. de Theriaca ad Pison. cap. 14. Si tamen ille liber legitimus *Galeni* fœtus est. *Albertus* M. de Animal. lib. 22 tract. 2. cap. 1. *Parit hyeme fœtum incompletum, ideò ursa fovet diu, & lambit fœtum. Ovidius* lib. 15. Metamorph. fab. 33.

Nec catulus partu, quem reddidit ursa recenti,
Sed malè viva caro est. Lambendo mater in artus
Fingit, & in formam, quantam capit ipsa, reducit.

Petronius item in illo versu:

Sic format lingvâ fœtum cum protulit ursa.

Orus lib. 2, cap. 83, in Hieroglyph. *Ægyptii hominem primò deformem natum, qui postea formosior evaserit, significare volentes, ursam prægnan-*

gnantem pingunt. Hæc namq; sanguinem primum condensatum & concretum parit. Hunc postea propriis fovens femoribus efformat, linguaq; lambens perficit. *Auctor* libri de Nat. rerum: *Ursus dicitur quasi orsus, scilicet in ventre, & extra completus. Quoniam præmaturum partum mater lingendo informat. Raphael Volaterranus* Comment. Philol. lib. 25. p. 297. *Ursa fœtus informes lambendo paulatim figurat. Georg. Agricola* lib. de Animant. Subterr. p. 44. *Mares quadraginta dies, fœminæ quatuor menses se occultant latebris: quo tempore candidam informemq; carnem & pariunt & lambentes sensim in propriam formant figuram. Johannes Baptista Bernardus* in semin. Philos. Aristot. p. 1462. *Ursa fœtum minimum pro corporis sui magnitudine edit, quippe qua minorem catto, majorem mure parere soleat, nudum, & cœcum, & cruribus membrisq; aliis propemodum indiscretum & rudem. Weinrichius* de ortu monstrorum cap. 24. p. 228. *Multipara, quæ multa in se continent, plura alere diu non possunt, donec perfecta sint, unde & inarticulati fœtus nonnulli eduntur, ut ursi, vulpes. Nierembergius* Hist. Nat. lib. 6. cap. 4. p. 94. b. *Imperfectos fœtus edunt omnia*

 multi-

multipara, præter suem. Ursæ informem carnis massam edunt, quam lambendo figurant.

§.II. Sed *contradicunt* his recentiores rerum naturalium indagatores, existimantes, ursam, non imperfectos, sed perfectos omnibusq; partibus absolutos parere fœtus. Sic *Cæsar Scaliger* Exerc. 6. sect. 15. & Exerc. 182. sect. 2. *Camerarius* cent. 2. Embl. 11. *Vossius* Theol. Gentil. lib. 3. cap. 54. p. 1022. *Andreas Laurentius* rei Anatomicæ lib. 8. c. 4. quæst. 13. *Dalecampius* ad citatum locum Plinii, *Ambros.* Hist. Quadrup. digit. lib. 1. c. 5. *Jonstonus de* Quadrup. H. N. pag. 127. *Franzius* Hist. Anim. cap. 7. p. 81. *Sengverdius* Exerc. Phys. 35. pag. 150. *B. Sperlingius* Zool. Phys. lib. 3. de Quadrup. cap. 17. p. 246. ubi axiomaticè pronunciat: *Ursam non parere informes.* Atq; his etiam *nos* subscribimus.

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Statum Controversiæ sistens.

§. I.

MOre nostro *nomina, rerum cortices*, primùm dissolvemus, ut eo faciliùs atq; felici-

feliciùs ipſo *nucleo* frui poſſimus. Duo autem hîc ſeſe nobis ſiſtunt *vocabula* explicanda, quorum primum eſt ly *Catulus*, de quo notamus (1) *Etymologiam.* Sic *Varr.* lib. 8. de lingv. Lat. & *Scaliger* cap. 31. de cauſ. L. L. â *Canis* deducunt, mutato N. in T. *Martinio* verò in Lexic. Philol. illa derivatio placet, quâ ab antiquo nomine *Catus*, quod ſagacem ſignificat, deducitur.

§. II. (2) *Homonymiam.* Induit enim (1) *naturam Nominis Proprii*, quod certis quibusdam *individuis humanis* quondam tributum legimus. Nam Q. *Luctatius, Catulus Romanus* fuit, qui contra Pœnos cum Amilcare duce profectus finem primo bello Punico impoſuit, de quâ re vide *Livium.* Fuit & alius *Catulus, Orator & Conſul*, cum C. Mario Cimbros fudit, quem videſis apud *Cicer.* in Orat. *Lucan.* l. 2. Hujus pater *Q. Catulus Poeta* fuit, teſte *Cicer. lib.* 1. de Nat. Deor. Qui præterea alius quoq; *Catuli* mentionem facit, *Orat.* pro Lege Maniliâ. Conf. *Vellejus Paterc.* lib. 2. cap. 32. (2) *rationem Nominis Appellativi*; & hoc modo imponitur *partim* rebus *inanimatis.* Sic *vinculi* quoddam genus etiam *Catuli* nomine inſignitur ap. *Lucil.*

Cum manicis, catulo, collariq; , ut fugitivum Deportem.

Partim rebus *animatis*, quæ vel sensu *strictiori*, vel *laxiori* significat. *Strictè* denotat *canum fœtus* recens editos, junge Hunde; *Latè* verò *aliorum* etiam *animantium filios* supponit, utpote luporum, leonum, simiarum, tigridum, vulpium, ursarum, quin & serpentum, draconum, viperarum.

§. III. Alterum *vocabulum*, hic evolvendum, est τὸ *Ursa*, de quô itidem observamus (1) *Etymologiam*, tùm *Latinam*, quam communem habet cum Masculino *Ursus*. Dicitur autem *Ursus*, secundum *Isidorum* & *Auctorem* libr. de Nat. rer. aliosq; quampluri-mos, quasi *orsus*: vel quod *ore* suo formet fœtus; vel quod in ventre *orsus*, extra ventrem linctu compleatur. Alii vocem ab *urgendo* deducunt, quia *ursus impellendo* tum homines, tum bruta cætera prosternit. Ita *Franzius* Hist. Anim. cap. 7. p. 79. Aliis *ursus* est quasi *sursus*, quia horret pilis, & δασύτριχος est. Vid. *Martin.* in Lexic. Philol. Tum *Græcam*: Sic ἄρκτος est *vel* ab ἀρκέομαι, quod sine externo alimento hyemem transigit; *vel* ab ἀρκῶ, *propulso*, quia ad in-

juria

jurias propulsandas anterioribus pedibus valet.

§. IV. (2) *Homonymiam*, secundum quam *Ursa* supponitur (a) *Astronomicè*, *pro sidere cœlesti*. Duæ enim dantur in cœlo *ursæ*, altera *Major*, altera *Minor*: illa *Helice*, hæc *Cynosura* vocatur. Vid. *Gesnerus* de Quadrup. lib. 1. pag. 1077. Has ursas intelligit *Ovidius* lib. 4. Trist. Eleg. 3. quum canit:

Magna minorq; feræ quarum regit altera Grajas:
Altera Sidonias, utraq; sicca rates.

Et *Propert*. lib. 2.

Callisto Arcadios erraverat ursa per agros,
Hæc nocturna suo sidere vela regit.

(b) *pro certis puellis*, quæ olim dictæ *ursæ*, teste *Cœlio* ex *Euripide* in fabulâ Hypsipyle, *Aristophane* in Lemniis ac *Lysistrate*. (c) *pro instrumenti genere*, quo piscatores utuntur, retibus in coli formam contextis, ligneo circulo superius ambiente os apertum, quod *ursos* vel *ursas* appellant, Bären. Sunt autem diversa, alia Storbären / quibus turbatos in ripis pisciculos aut cancros excipiunt; alia nassis vimineis similia in profundum demittuntur, Setzbärn / Setzgarn. *Gesn.* l. c. p.

l. c. p. 1078. (d) *pro urbe Picenorum*, quæ *Ursa Balvia* quondam appellabatur, *Ptolom.* 3. l. hodiè *Urbsa*. (e) *Physicè* & quidem *tum* pro *pisce testacei generis*, hoc est, ex cancrorum seu squillarum genere, *Gesn.* d. l. *Tum* (f) pro *bruto sexus sequioris*, *quadrupede*, *murmurante & sæviente*. Atq; hæc ultima significatio *hîc* locum tenet.

§. V. (3) *Synonymiam*. Ebræis ursa audit דוב. Chaldæi salutant דובא. Græcis dicitur ἡ ἄρκτος. *Galli* vocant *Ourse*. *Italorum* linguâ *Orsa* appellatur. Juxta *Hispanos* vocatur *Ossa*. A *Germanis* notatur ein Bär / das Weiblein.

§. VI. Est autem *ursa* (ut naturam ejus hîc breviter tantùm ac leviter attingamus) *brutum sexus sequioris quadrupes*, *murmurans*, *sæviens*, *deforme*, *robustum ac pernitiosum*. *Caput* invalidum est, ab ossium infirmitatem, præsertim in syncipite. *Corpus* grande satis ac deforme. *Pellis* spissa & villosa est. *Pedes* sunt instar manuum. *Ungues* adeò acuti, ut vel crassissimum asserem querceum transfodere possint. *Colore* plerumq; nigro est, in frigidis tamen locis etiam candet. *Cibo* fruitur omnigeno, pomis, piris, nucibus, ca-

stane

ſtaneis, mellibus, formicis, carnibus. Neq; à cadaveribus abſtinet; ſed luporum more ea ſecum portat ac devorat. *Coëunt* non canum, aut equorum, ſed hominum more, mutuis complexibus. *Senſus tactus* in naſo tenerrimus eſt. Hinc Proverbium: *Ne tentes naſum urſi &c.* i. e. ne tentes eos, qui nocere queunt. *Prolem* amat vehementer, eamq; pectori admovet, fovet, ac tegit. Reliqua vid. ap. *Geſnerum* l. d. *Aldrov.* de Quadrup. digit. *Sperling.* Zool. Phyſ. lib. 3. cap. 17. p. 242. ſeqq.

§. VII. Cæterùm hîc (α) *Diſtinguendum* inter *deformitatem* ratione *ſecundinarum*, & ratione *partium integralium* ſpectatam. Non ſolliciti ſumus de *illâ*, ſed de *hâc*. Aliàs enim concedere facilè poſſumus, *ſecundinas*, catulo circundatas, *quandam* præ ſe ferre *monſtroſitatem*. At quid hæc ad ipſum catulum? Hic certè, ſi, præſuppoſitâ animâ, debitis partibus eſt inſtructus, nulla *deformitate* amplius laborat.

§. IIX. *Diſt.* (β) inter *deformitatem abſolutè & reſpectivè* conſideratam: ſive, inter *deformitatem in genere urſorum, & in genere hominum. In ſe & abſolutè catuli* non ſunt *defor-*

deformes; ad homines verò *relati*, à *deformitate* non prorsus sunt liberi. Homines enim sunt erecti, catuli dejecti. Homines cœlum, hi terram contemplantur. Illi læves, hi asperi ac hirsuti. Et quæ sunt alia *deformitatis* indicia, quæ in *catulis ursarum*, nobiscum *comparatis*, deprehendimus. Sed de hâc *respectiva monstrositate* non loquimur, cum *absoluta* solùm nobis in controversiam veniat.

§.IX. *Dist.* (γ) etiam inter *id, quod fit per se, & quod fit per accidens*. Non disputamus, an *per accidens* & præter intentionem *ursa* nonnunquam *catulos deformes* pariat? Hoc enim ipsa Lubentiâ lubentiùs admittimus, utpote qui scimus, quàm facilè natura cujuslibet animalis in conformatione partium fœtus sui impediri possit, ita ut intento suo fine excidere necessum habeat. Testantur id ad satiem *monstra* in omni ferè animalium genere obvia. Enimverò an *per se ursa* intendat & producat ejusmodi *monstrosam massam*? hoc est, quod constantes inficiamur.

§. X. Deniq; (δ) *Dist.* inter *deformitatem naturalem*, quæ in generatione ac formatione

tione contingit; & *non-naturalem*, quæ ab extrinseco aliquo principio, violenter aut alio modo infligitur. Non *hanc*, sed *illam* intelligimus, hoc est, non quærimus, an *catuli ursarum nati* violentiâ *extrinseci* principii & *casu deformes* reddi possint? Hoc enim affirmamus. Sed, an *per se* tales *nascantur* & edantur à matre? id quod negamus.

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Nostram sententiam confirmans.

§. I.

Catulos igitur *ursarum perfectos minimeque deformes nasci* contra *Aristotelem, Plutarchum, Plinium, Solinum, Galenum,* aliosque supra allegatos auctores, probamus (1) *ab experientia. Quicquid certissima testatur experientia, illud in amorem hujus vel illius Philosophi temerè negandum non est: atqui catulos ursarum nasci dearticulatos planeque formatos, certissima testatur experientia; Ergò. Major* in aprico est. *Minorem* sequentia stabiliunt experimenta. *Ulysses Aldrovandus*, Philos. & Med. Bononiensis, operosissimus & com-

consummatissimus omnium, quicunque unquam vixere, Zoologus, lib. de Quadrup. digit. lib. 1. cap. 10. [illegible]fert, *in Museo Senatus Bononiensis asservari ursulum aliquem, in vase vitreo inclusum, qui ex matris utero quidem extractus, sed nulla parte imperfectus* [illegible]at. Id quod etiam *Ambros.* l. a. confir[illegible] [illegible] A-liger ille *Scaliger* Exerc. 6. §. 15. asse[illegible]rit, [illegible]na-tores in Alpibus fœtam ursam co[illegible]pisse, in quâ dissecta fœtus planè formatus inventus sit. Verba ita habent: *Bonum Phidiam: si quantum demendum, quantum relinquendum sit, sciat. Quid hujusce fabulæ autoribus fidei habendam sit, ex hac historia cognosces. In nostris Alpibus venatores fœtam ursam cœpere. Dissecta ea, fœtus planè formatus, inventus est. Matthiolus* in lib. 2. Dioscorid. cap. 37. testatur, se vidisse catulos, adhuc in utero existentes, omnibus suis membris conformatos. *Quandoquidem,* inquit, *in valle Anania supra Tridentum vidimus nos prægrandem ursam prægnantem, ab ipsis venatoribus extenteratam, cujus catuli adhuc in utero existentes, omnibus suis membris distinctis, ac formatis, reperti sunt, non autem informes, ut plerique existimant, magis fortasse Aristotelis & Plinii autori-*

ctoritatibus freti, qui ita esse memoriæ prodiderunt, quâm sensibus & experientia. Idem tradit quoq; *Jonstonus* loco allegato. Jacobus *Dalecampius* ad Plin. lib. 8. cap. 36. *Hoc*, inquit, *falsum. In utero gravidæ ursæ à venatoribus captæ & exenteratæ omnibus suis membris distinctos catulos & formatos vidi. Fabulæ causam præbuit catulorum ortus crassissimus, secundinis obvolutorum, quas non nisi diu lambendo mater revellere potest: Sic videlicet contecti informis carnis speciem monstrant.* Magnus ille *Vossius* Theol. Gentil. lib. 3. cap. 54. pag. 1022. *fœtum* (ursarum), inquit, *membra habere prorsus distincta, gravidas cum ursas dissecuissent, comperêre venatores.*

§. II. (2) *Ex generationis essentia. Quicquid ursa per se generat, & producit, illud ipsi simile est tum quà essentiales, tùm quà integrales partes: atqui informis illa carnis maßa ursæ similis non est, neq; quoad essentiales, neq; quoad integrales partes; Ergò informem illam carnis massam ursa per se non generat. Majorem* novit, qui *generationis* naturam novit. Est enim *generatio* definitore B. *Sperling.* Instit. Phys. lib. VI. cap. 6. pag. 896. *actio corporis naturalis misti, quâ sibi simile producit, ut per-*

petua Specierum constet conservatio. Nec est ut *distinguas* inter *generationem incboatam*, quâ forma mediante aliquali suæ speciei materiâ producitur; & inter *generationem consummatam*, quâ totum compositum cum omnibus suis partibus producitur. *Catuli* enim, quos jam peperit *ursa*, non ad *illam* sed ad *hanc* pertinent. Ergò etiam cum omnibus partibus suis producantur, necessum est. Aliter verò pronunciandum de *semine ursi*, in matricem *ursæ* immisso, utpote quod ad *incboatam generationem* referendum. Adest enim ibi *forma*, quæ mediante semine traducitur, cum aliquali tantùm speciei suæ materia. Hæc ad *Majorem*. *Minorem* nec ipsi adversæ partis defensores improbare poterunt. Ecquis enim sanæ mentis *carnem rudem*, ut vocant, *ursæ similem* dixerit. Utut quidem ibi forsan adesse possit forma, abest tamen *corpus organicum*, quod æq; ac illa ad *perfectum ursum*, immò ad omne perfectum animal requiritur.

§. III. (3) *Ex verâ formandarum partium causâ. Quicquid animæ catulorum competit, illud uno eodemq; respectu non adscribendum est ursæ matri : atqui conformatio partium animæ*

catu-

catulorum competit; Ergo conformatio partium non adſcribenda eſt urſæ matri. *Major* conſtat, qnia anima catuli, & urſa mater realiter diſtinguuntur. *Minor ex urſorum generatione* certa eſt. Ita enim hæc ſeſe habet. Primùm infundit mas ſemen in uterum fœminæ. Hoc recipit matrix & cum materno ſemine commiſcet. Quô factô ſtatim adeſt anima, ab utroq; parentum traducta, non ſecus ac lumen de lumine accenſum. Iſta verò anima, in ſemine actu exiſtens, non otioſa eſt, ſed maximè operoſa. Hinc cùm ſemen ſit inorganiſatum, fabricat ſibi ex eo inſtrumenta & membra debita, ut idoneum functionibus ſuis edendis habeat domicilium. Fabricat autem ea non ſimul ac ſemel, ſed ſucceſſivè; neq; in iis ſaltum facit, ſed ſemper ab imperfectiori ad perfectius tendit. Quâ de cauſsâ, partium ſcilicet omnium à capite ad calcem adumbratione & confuſa delineatione facta, attrahere incipit ſanguinem, ex quo cunctæ partes ſuum accipiunt complementum, poſteaq; etiam vitam. Atq; ſic actis & tranſactis in utero rebus omnibus è latebris uteri exilire tentat fœtus, ut aurâ fruatur liberiori, ut nutrimento gaudeat

copiosiori. Sed cum *secundinis* nimis *crassis* sit involutus, opus habet matre quasi obstetrice, quæ ne unguium contactu prolem recens editam lædat, lingua utitur, & lambendo sensim vincula solvit. Hæc, hæc est vera ac genuina catulorum ursinorum generatio. Ex quâ patet, matrem in utero materiam tantùm formandarum partium suppeditare, extra uterum vero secundinas tantùm removere. Jam autem diversissima sunt, *materiam ad partes figurandas dare, & partes ipsas formare*; item, *lambendo secundinas separare*, & *lambendo membra figurare*. Prius, non posterius ursæ concedimus.

§. IV. (4) *Ex Maximâ illâ Philosophicâ: Natura semper intendit id, quod est perfectissimum.* Unde ita argumentamur: *Quicquid ursa per se & sibi relicta, nec in actionibus suis impedita, generando producit, illud perfectione debitâ gaudet: atqui informis illa caro perfectione debitâ non gaudet; Ergo informem illam carnem ursa per se & sibi relicta, nec in actionibus suis impedita, generando non producit. Major* ex allegato axiomate robur suum accipit. Quis enim crederet, naturam ursæ inge-

in generandis catulis *ſemper* à ſcopo ſuo aberrare? aut quis ſibi perſuaderet, urſam *per ſe* intendere generationem ejusmodi monſtri? Nemo certè, niſi rerum Phyſicarum ignarus, tantæ aſſenſum largietur *fabellæ.* Neq; *Minor* allati argumenti vacillat. Quicquid enim eſt informe, illud perfectione debitâ non gaudet: atqui caro illa eſt informis; Ergo. Porro: Quicquid lambendo demum eſt perficiendum, illud perfectione debitâ nondum gaudet: atqui caro illa informis (ex adverſariorum ſententiâ) lambendo demum eſt perficienda; Ergo.

§. V. (5) *Ex abſurdi conſequentiâ. Si enim urſa lambendo partes catulorum formare poſſet, ſequeretur, quod multò magis partes proprii ſui corporis detruncatas lambendo componere, vel novas producere poſſit: atqui poſterius eſt falſum; Ergò & prius. Majoris* connexionem qui negat, ſuppeditet rationem, & Phyllida ſolus habeat. *Minoris* probationem exhibet ipſa experientia.

§.VI. (6) *Ex cæterorum brutorum analogia. Si cætera animantia bruta omnia in utero debitas accipiunt partes, nulla poteſt aſſignari cauſſa,*

cur ursarum catulos natura hoc beneficio privarit: atqui antecedens est verum; Ergo & consequens. Atqui sic probatam dedimus veritatem nostræ sententiæ: Restat, ut nunc videamus etiam argumenta adversariorum, eademque ad veritatis lancem exigamus. Sit ergo

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΤΑΣΤΙΚΗ,

Objectiones Adversariorum refellens.

OBJECTIO I.

§. I.

QVicquid testatur experientia, & unanimis veterum comprobat consensus, illud temerè non est rejiciendum: atqui catulos ursarum nasci informes ac imperfectos, testatur experientia & unanimis veterum comprobat consensus; Ergo. Major firma. *Minor* ex membri I. §. I. manifesta.

SOLUTIO.

§. II. Resp. (1) ad *Majorem*, quâ priorem subjecti partem quidem concedendo; quà posteriorem verò negando. *A testimonio* enim

enim *humano infirma petuntur argumenta*. Nec quicquam juvat ἀυτὸς ἔφα, *Aristoteles dixit*; *Ergo verum est*. *Aristoteles* fuit *lumen*, non *numen*. Fuit *homo*, & *errare* potuit, quin & sæpissimè *erravit*. Quanquam *Averroes* asserere non vereatur, in libris *Aristotelis* per 1500. annos *nullum* unquam *errorem* repertum fuisse: nescio tamen, quomodo dicta probare possit. (2) Negando *Minorem* quà priorem prædicati partem, de *experientiâ*. Nam (3) *distingv.* inter *experientiam rusticam*, & *judiciosam*. Rustici quidem catulos ursarum secundis obvolutos adspicientes, eos pro informi aliquâ masfâ habent; aliter verò sapiunt, meliora edocti. Quod si tamen contingat, ut viri quoque, qui videri volunt, sapientes hac opinione decepti fuerint. (4) *Dist.* inter id quod φαινομένως, & quod ἀληθῶς tale est. *Videtur* quidem ursarum fœtus aliquid monstri alere, idq; ob secundinas admodum crassas. Sed *videtur*; aliter *res ipsa* sese habet.

OBJECTIO II.

§. III. At inquis: *Ursæ tamen visæ sunt lambere fœtum. Cui igitur bono id facerent, nisi partium formationem intenderent?*

SOLUTIO.

§. IV. Resp. (1) N. V. C. Ursæ lambunt fœtum; Ergo figurant eum; *Ergò* catuli sunt *deformes* & imperfecti. Quidni etiam argumentaris: Vaccæ nostræ lambunt vitulos; Ergò hi sunt imperfecti, neq; debitis partibus instructi? Leones delingunt scymnos suos; Ergò sunt deformes nec perfectè elaborati? Minimè (2) Aliud est *à sordibus purgare*, aliud *perficere*. *Perfectio* intra uterum à principio interno, animâ sc. catuli fit; *Purgatio* verò & secundarum separatio à principio externo, linguâ scil. provenit. A *purgatione* igitur, vel *segregatione ad perfectionem N. V. C.*

OBJECTIO III.

§. V. *Si deformes ac imperfecti nascuntur aliorum animalium fœtus, idem quoq; ursarum catulis accidere potest: atqui prius est verum; Ergò & posterius. Minorem* probant à *catulis canum, vulpium, luporum*, quos *cæcos* edi statuunt.

SOLUTIO.

§. VI. Resp. (1) ad *Majorem. A particulari neq; ad particulare, neq; ad universale V. C.*

(2)

(2) *A posse ad esse N. V. C.* Non sequitur: Catuli ursarum *possunt esse* deformes; Ergò etiam tales *sunt.* (3) *Negamus Minorem.* *Canum* enim, *vulpium, luporumq;* fœtus utut *non videntes* nascantur *deformes* tamen non sunt: cùm intendantur ac *per se* producantur à *naturâ.* Quicquid autem *natura per se* intendit ac producit, illud nulla *vera deformitate* præditum esse dicitur. Deinde *nec imperfecti catuli* illi jure appellandi sunt. Quicquid enim imperfectum est, illi deest id, quod habere debet: atqui catulis illis non deest id, quod habere debent; Ergo non sunt imperfecti. Sed negabis forsan *Assumtum*, dicendo, *catulos* illos esse *cæcos.* Respondemus (4.) *Disting.* inter *cæcitatem latè*, & *strictè* sumtam. *Rigorosè* si velimus loqui, falsum est, *catulos* dictos esse *cæcos.* *Cæcitas* enim est *privatio.* Quid *privatio*? Est absentia perfectionis naturalis in subjecto capaci, *in quo vel fuit, vel inesse debuit.* Atfuitne, quæso, visus actualis in *catulis canum, vulpium, luporum*? Vel debetne, iis à primo statim ortu inesse? Minimè. Ea enim providæ naturæ summa sapientia atq; benignitas est, ut teneriores istorum

animantium oculos palpebris tantisper obtegat, donec intensissimam solis lucem sensim ferre condiscant, quæ alias pupillæ magis perniciosa, quàm salutaris esset. Requiritur igitur ad *strictè & exquisitè* sic dictam *privationem* inter alia quoq; & hoc, *ut adsit tempus à natura determinatum*. Nam reperiuntur quidam habitus, qui certo & definito tempore demum in subjecto capaci recipiuntur, unde propter absentiam habitus ante illud tempus non debet subjectum dici eo privatum. Sic *infans* primis mensibus non appellatur *edentulus*. Sic *catuli* quoq; ante nonum diem non dicuntur *cæci*, quia, uti dictum, per naturam ad hunc usq; diem visum habere non debent, nec solent. Interim tamen *latè ac minus accuratè* quin *cæci*, suo modo, possint vocari, non repugnabimus.

CAPUT

CAPUT IV.
DE AMORE OVIS ET LUPI.

QUÆSTIO:
An Sympathia detur inter ovem & lupum?

Lupus *varia significat.* Ovis *Homonymia. Amor triplex Sympathia impeditur nonnunquam. Hypotheses quædam. Argumenta contra amorem ovis & lupi. agni luporum ululatu exanimari dicuntur. Luporum catuli aggrediuntur oves. Ovis interficit lupum. Chordæ lupinæ & ovinæ* δυσφωνίαν *edunt. Tympana ex lupinis & ovinis pellibus.* Re*spondetur objectioni Gesneri & Vossii. Pelles ovium lupinis super impositæ depilari creduntur & aptissimæ esse pediculis generandis. Ratio hujus rei. Sengverdii argumenta pro amore ovis & lupi. Lupus custodit oves & arcet lupos. Responsio ad Sengverdii rationes. Ovilla caro quomodo posßit esse nutrimentum lupi. Antipathia singularis inter patrem & filium. Judicium de lupo custodiente oves.*

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. I.

CUm errorum genetrix *æquivocatio* ſemper exiſtat; non abs re erit, & hîc vocabulorum præmittere ambiguitates. Quod itaq; attinet ad Vocabulum *Lupus*, tenendum, quod nos h. l. illud accipiamus non in *ſenſu ſacro*, *vel* pro *Diabolo*. Joh. 10. qui crudeli calliditate ſua Lupum egregiè mentitur, quô de vid. *Franz Hiſt. An. p. 219. Vel* pro *Hæreticis*, Act. 20. Matth. 7. qui luporum inſtar gregem Chriſti diſſipant, miſerèq; dilaniant, abſentibus fidelibus Paſtoribus; *Vel* pro *Tyrannis* Ezech. 27, 27. Soph. 3, 3. qui innocentem ſanguinem immane quantum ſitiunt; Sed in *ſenſu profano*, quo quidem iterum diverſas diverſæ eſſentiæ res ſignificat. Etenim uſurpatur I. *Rhetoricè* vel *Metaphoricè*, *tum* pro *Meretrice*, quæ ob avaritiam, rapacitatem ac ὠμοφαγίαν *lupa* apud *Plut. in Epid.* audit; *Tum* pro *Sycophantis*, quibus itidem *Ariſtophan.* in Veſp. *lupi* nomen impoſuit, idq; ob fraudulentam ipſorum aſtutiam; *Tum* pro *iconibus luporum*, quales conſpiciuntur in vetuſtiſſimis illis

dena-

denariis argenteis, *Romulo* ac *Remo* urbera prębentes. Ac olim habebantur in Templo *Delphis*, quia *Apollo ex Latonia*, *in Lupæ speciem conversa*, editus in lucem credebatur. II. *Mechanicè*, & quidem (α) pro *serrula manubriata*, agrestium usibus accommodata, Germ. Handsägen/ ita dicta ob inæqualitatem dentium, ipsi cum lupo communem, *Pallad.* (β) pro *frenis* asperrimis, *Cælius* (γ) pro *instrumento adunco*, quò vasa, quæ in puteum ciciderunt, extrahunt, *Isidor.* vel quo caro ollis eximitur, *Pollux*; vel quo naves in bellô capiuntur illaqueanturque, *Plin.* (δ) pro *ligaturæ* vel *nodi* quodam genere, apud *Theomnestum* in Hippiatr. c. 24. III. *Magicè*, pro *lycanthropis*, s. iis hominibus, qui, opera Dæmonis μυρωτεχνίτε, in lupos transiisse se somniant, quibus de conf. *B. Sperling.* Instit. Phys. *Delrius* Disquis. Mag. Tom. IV. *Medicè*, pro *ulcere* quodam celerrimè depascente & instar lupi famelici proximas sibi carnes exedente. Nec adeò dissimile est illi, quod aliàs *fornicem* vel *noli me tangere* appellant, nisi quod non faciem, sicut illud, ad inferiores partes, præcipuè verò crura infestat, *Manard.* V. *Astronomicè*, pro *Asterismo*

ſteriſmo Auſtrali, juxta *Aram*, conſtante 19. ſtellis, de quo fabulantur, eſſe illam beſtiam, quam *Ceutaurus* venatus, & ſuper *Altare*, cui vicina eſt, offerre voluerit, ſed inter ſacrificandum ſimul cum pecude & arâ in cœlum ſublatus ſit, unde & Hoſtia vocatur. VI. *Geographicè*, pro *urbibus* quibusdam, *pagis*, & *fluviis*, eodem nomine gaudentibus, uti legere eſt apud *Geſn.* Hiſt. An. l. 1. de Quadrup. f. 754. 755. VII *Phyſicè*, pro *corpore naturali vivo*, tum *vegetante*; Et ſic notat (1) *plantam* aliquam, quæ in vepribus ac ſalictis præprimis reptat, caulibus aculeatis longiſſimisq;, & foliis hiſpidis. Vulgò *lupus ſalictarius* dicitur, Germ. Hopffen/ illudq; aut à *colore* lupino, aut ab *aſperitate*, ut *Platina* vult. (2) *flores* herbæ *Iridis*, quos *lycos*, ob *labiorum lupinorum ſpeciem*, dici, auctor eſt *Cælius* ex *Sol.* in Nicandr. Tum *ratiocinante*; atq; hoc ſenſu *homines* nonnulli eodem nomine inſigniti deprehenduntur, ut: *Lubercus*, *Beryſius*, Grammaticus; *Lupus Servatus*, Presbyter; *Lupus de Oliveto*, Hiſpanus Monachus. Quæ loquendi ratio nec Germanis ignota eſt, dum alios vocant Wolff/ Wolffhart/ Wolffgang/ *Geſn.* d. l. pag. 751. ſeq. Tum

ſenti-

ſentiente, & quidem vel *imperfecto* (*reſpecti-vè* ſumpto vocabulo.) Sic non tantum ſpecies aliqua *araneorum*, quæ corpus habet altum & involubile, parteſq́; circa collum inciſas & in ore eminentias tres, hoc *Lupi* nomine venit, teſte *Aldrov.* l. 5. de inſect. c. 13. p. 239. Sed eodem quoq́; inſigne eſt *muſcæ* quoddam genus, ut *Nicandri Scholiæ* docent; Vel *perfecto*, atq; hâc ratione vox *Lupus* tribuitur (a) *brutis volatilibus*, *milvo* nimirum, quem Græci quidam vulgò λέπην, à lupinâ voracitate appellare conſueverunt, *Var.* Nec non *avi* cuidam ex *graculorum* ſeu *monedularum* grege, apud *Ariſtot.* (b) *brutis natatilibus*, piſcibus videlicet illis voracibus, quos *lupos marinos* vocitant, Germ. **Hecht.** (c) *brutis greſſilibus*, & *adulterinis*, canibus ſc. mixtis, quos Græci *lyciſcas* vocant, Latinè *lupos canarios*, vel *canes luparios* dixeris; & *genuinis*, ubi uſurpatur vel *cum appoſito*, pro *Lynce*, *Lupo cervario*, qui ita dicitur, quod extremus cervorum hoſtis ſit & rapacitate quâ proximè accedat ad lupum; vel *ſine appoſito*, pro *lupo*, *bruto quadrupede*, *ululante*, *rapaciſſimo*, *voraciſſimo*, & *ovibus infeſtiſſimo*, Germ. **Wolff.** Atq; hæc ultima ſignificatio hic intelligitur.

§.II.

§. II. Succedit jam vox *OVIS* perpendenda, variaque ejus acceptio eruenda. Hæc enim ſumitur I. *impropriè*, tum in *ſcripturâ ſacrâ*, atq; ſic tribuitur (1) *Chriſto*, qui typicè repræſentabatur in agno Paſchali. (2) *Beatis*, Matth. 25, 32. qui ſimillimi ſunt ovibus ob ſummam manſuetudinem, quam à Chriſto didicerunt; Tum in *ſcripturâ-profana*, quâ Ovis nomen impoſitum legitur (a) *Homini manſvèto & patienti*, qui *ove mitior* communi proverbio dicitur; (b) *aliis* etiam *hominibus*. *Troglodytæ* enim *pecorum nomina filiis* imponere ſolebant; ut *tauri*, *arietis*, *ovis*, eò quod ab iis, non à Parentibus alantur. Hinc *Porcius*, *Ovinius*, *Caprilius*, *Varro*. II. *Propriè* pro *bruto quadrupede balante*, *ſimplici*, *timido*, *patienti & manſveto*, uti h. l.

§. III. Tandem & vocabulum AMOR seu SYMPATHIA ab æquivocatione liberandum. Notat enim (1) *generaliter*, amorem quemcunq;, ex quolibet principio in Subjecto ortum. Sic homo amat canem, venator beſtias &c. (2) *moraliter*, affectum Ethicum, qui conſiſtit in mutua & manifeſta inter aliquos benevolentiâ, vel virtutis, vel voluptatis, vel utilitatis causâ, ejus ipſius gratiâ

gratiâ, qui amatur, conceptâ. Sic Sympathia est inter Damonem & Pythiam. (3) *naturaliter*, suavissimum corporum naturalium consensum, ex naturali & intrinseco principio, qualitatum vid. similitudine, ortum. Sic *corallium* & *aurum* amicè inter se conspirant ad confortationem cordis. Sic *magnes* tanto amore fertur in ferrum, ut illud etiam tabellâ lignea interposita ad se trahat. Atq; de hoc *amore* vel *Sympathia* h. l. nobis est sermo.

§. IV. Posse autem eam *externis nonnunquam impedimentis* sufflaminari, experientia satis clarè docet. Etenim licet magnes ferrum suavissimo excipiat amplexu, impeditur tamen actio ejus facilè, si vel tantillo allii illinatur, vel si adamas secundum nonnullos (de quo tamen nos adhuc dubitamus.) interponatur. Salvia quoq; bufonibus admodum solet esse amica, quod si verò adjunctam habeat rutam, inimica ipsis evadit.

§. V. Hisce observatis, recto tramite ad sententiæ nostræ confirmationem pergere possemus, nisi adhuc nonnulla præmittenda essent. Nimirum (1) Omnem *Sympathiam* atq; *Antipathiam* rebus esse *congenitam*.

Id quod indicat vox *Naturale* in utriusq; definitione: Illa enim est *Amor naturalis*; Hæc verò *odium naturale unius corporis erga aliud.* Et licet *actus secundus* interdum non percipiatur; *primus* tamen statim negandus non est. (2) *Antipathiam* suos habere *gradus*, & in alio subjecto *Majorem*, in alio *Minorem* existere. (3) Ἀντιπαθοῦντες etiam *congredi*, sed *congressu* non *amico*, verùm *inimico* ac *hostili*, ut se mutuo prosequantur odio. (4) *Sympathiam* non in *aversione*, sed in *unione* consistere. Nunc esto

ΚΑΤΑΘΕΣΙΣ.

§. I.

NUllam itaq; lupo cum Ove intercedere *Sympathiam*, probamus (1) ex *amoris mutui absentiâ.* Ubicunq; datur Sympathia, ibi etiam reperitur amor naturalis mutuus; Atqui in Ove & lupo non reperitur amor naturalis mutuus; Ergò. *Major* est manifesta. Formale enim *Sympathias* consistit in mutuo illo amore quo sese excipiunt corpora naturalia. Atq; hoc negato, neganda etiam venit *Sympathia*, ob essentialem cohæsionem. *Minor* constat, quia lupus ovi quàm maximè insidiatur,

eamq;

eamq; quærit, ac repertam miserum in modum discerpit dilaceratq;. Hinc etiam ovis fugit lupum, ceu infestissimum hostem, & ad suum sese recipit Pastorem. Quod si verò hic *amor* daretur *mutuus*, non *fugâ*, sed *consociatione* esset manifestandus.

§. II. (2) *Ex odii præsentiâ.* Inter quæcunq; corpora datur odium naturale unius erga aliud, ibi nulla est Sympathia, sed mera & vera Antipathia; Atqui inter ovem & Lupum datur odium naturale unius erga alium; Ergò. *Major* est immotæ veritatis. Nititur enim regulâ illa Philosophicâ: *Cuicunq; competit definitio, eidem & definitum.* Nec *Minor* falsa est: Etenim (*a*) ovis summo, quo potest, opere lupum abhorret, ita quidem, ut (si dictis fides habenda) agni nuper nati nec alicujus animalis effigiem extra caulam conspicati, audito repente luporum ululatu, exanimentur. Cujus quidem rei rationes potius in manifestis quâm in occultis quæreremus causis. Ovis enim, audito lupo, cujus præsentiam dubio procul sentit, exhorrescit, sanguisq; ipsius, qui materiam lactis præbet, alteratur & ferè corrumpitur. Agnus verò postea imbibit noxium illud lac,

& unà cum eô ipsam quoq; mortem. Experientia tamen hàc in re consulenda. Dum igitur ovis lupum fugit, fugâ illâ manifestum suum contra lupum prodit odium. Hoc enim affectus aversionis est, veluti amor unionis, teste B. Sperling. *Zool. Phys.* l. 1. c. 20. p. 121. (β) *Naturale* verò illud *odium* esse, patet exinde, quia cum ipsis hisce animantibus statim *connascitur*. Hinc *Luporum catuli*, vix octo aut 14. dies nati, aggredi solent obvias *oves*, quamvis ob virium imbecillitatem damnum iis inferre nequeant. Cujus rei αὐτόπτην me profiteor testem. Ne verò aliquis reponat, illud ad restingvendam famem esse factum; sciat, *catulos* illos tum temporis probè fuisse *saginatos*.

§. III. (γ) *Ex odii efficientiâ seu efficaciâ*, quæ ex miserâ ovium clade præprimis conspicitur. Hinc argumentum: *Q. corpora sese destruunt, illis nulla adscribenda est Sympathia*: Atqui *lupus & ovis se destruunt*; Ergò. *Major* sua luce lucet. *Sympathia* enim unicè fundatur in *qualitatum similitudine*, ex quo naturalis ille propullulat amor. Hic verò non intendit *Subjecti destructionem*, sed *conservationem*, non similia *disjungit*, sed suavis-

simè

ſimè *conjungit.* Hinc *ſimile ſimili gaudere* vulgò & verè dicitur. *Minor* vel Ruſticis nota, imprimis autem ab opilionibus diſcenda, utpote qui immanem lupi rabiem ſæpius non ſine ingenti rei familiaris nocumento perceperunt. Quando enim in ovile irrumpit, non ſolùm tot, quot ſedandæ fami ſufficiunt, trucidat oves, ſed totum etiam gregem jugulat atrociſſimè. Quid, quæſo, hoc aliud, quàm graviſſimam luporum in oves ſævitiam monſtrat? Sed non tantum Lupus, quin ovis etiam ipſa, quandoque utut rariſſimè, naturale ſuum mutuâ dimicatione manifeſtat odium. Cui rei fidem facit mirabilis illa hiſtoria, recenſita ab *Antonio Baucio* in Epiſtolâ quâdam, ad P. Toletum ſcripta anno ſalutis 1537. his verbis: *Reducebat oves paſtas in caulam opilio: Et fortè accidit, ut pecus quædam macilentiſſima, ac penè ſcabie confecta, longo intervallo reliquas ſequeretur: Eam lupus prægrandis, & cui cilia jam caneſcebant, conſpicatus, velociſſimè inſequi cœpit. Ego illam tranſiens, oviculam miſeratus, quàm maxime poteram clamore & curſu, lupi vim ab innoxia arcere conabar. Sed antequam appropinquarem pecudi, ovis macie ipsâ maci-*

lentior hostili & rabido animo lupum aggressa, strangulavit. Pecus in forum abducta & lupus interemptus, delectabile spectaculum prætereuntibus dedere. Quod exemplum licet sit singulare, nonnihil tamen ad *Antipathiam* horum animalium illustrandam conferre, nemo inficias ibit.

§. IV. (4) Stabiliunt quoq; nonnulli hanc Antipathiam, ex *odii permanentiâ* h. m. Q. corpora naturalia per totam vitam dissentiunt, nec in ipsâ morte odium deponunt, sed illud ita membris nonnullis imprimunt, ut post mortem etiam in iisdem vigeat ac appareat, illis nulla competit Sympathia: Atqui de ove & lupo verum prius; Ergò & posterius. *Major* firmo stat talo. *Sympathia* enim non in *dissensu*, sed suavissimo *consensu* consistit. Pro *Minore* adducunt experientiam, quæ testatur, *panduram chordis lupinis* partim, partim *agninis* obductam, *harmonicum* nunquam edere sonum, ob perpetuam chordarum istarum δυσφωνίαν, referente *Cardano*, aliisq; Musicæ peritis. Quibuscum sentit quoq; *Albertus* & *Rasis*, & ipse *Pythagoras*: *Si intendatur*, inquiens, *chorda de intestinis lupi cum ovium chordis,* *rumpit*

rumpit eas, & aufert omne temperamentum ab eis, ut habent verba allegata à *Gesnero* H. A. l. 1. p. 887. conf. *Arist.* l. 9. Hist. An. c. 1. *Plinius* l. 10. c. 74. *Oppianus* lib. 3. κυνηγετ. Adduntalii, quod *tympano*, ex *lupina* pelle confecto & pulsato, frangatur, vel certè obmutescat alterum, *ovinâ* pelle contextum, auctore *Brocbmand.* Syst. Theol. Idem quoq; *Oppianus* l. d. *Si ex lupina pelle confeceris tympanum, Id inter cætera pulsatum solùm resonabit, silentibus cæteris, utcunque prius sonoris.* Quibus mox subjungit: καὶ φθίμενοι γὰρ οἶς φθίμενον λύκον ἐρρίγασιν. Accedit *Nieremberg.* Hist. Nat. lib. 7. c. 53. pag. 124. *Oves etiam mortuæ mortuum lupum expavescunt: Nam ovina tympana coram lupinis penè obmutescunt, & ovina pellis cum lupinâ juncta pilos amittit.* Immò nec ipse *B. Jac. Martini* in disp. de Cognitione sui anno 1610. Witteb. habitâ, ab hâc opinione alienus fuit, quando scribit: *Cur inter lupum & agnum tanta inimicitia, ut etiam concusso tympano, ex corio lupi confecto, dicantur ea dissolvi tympana, quæ ex agnino corio sunt confecta?* Et nescio quis eâdem de re sequentia canit:

Cætera mutescunt, coriumq; silebit ovillum,
Si confecta lupi tympana pelle sonent.
Hanc membrana sic ovium exhorrescit, ut hostem,
Exanimis quamvis non ferat exanimem.

§. V. Sed contradicit his *Gesnerus* l. 4. p. 887. qui ea, quæ de *chordis* & *tympanis* referuntur, superstitiosa esse putat. *Quanquam enim*, inquit, *lupina pellis, cùm durior solidiorq; sit ovili, sonum procul dubio in tympanis longè clariorem edat, ut sonus reliquorum longè inferior minus animadvertatur, ut lux candelæ juxta ignem positæ: (eadem & in chordis ratio fuerit) rumpi tamen vel prorsus obmutescere quis credat? Cæterum pellem ovillam lupinæ conjunctam absumi citius non mirum est, ut neq; anseris pennas prius, quàm aquilæ, si conjunxeris. Sicciorum enim animalium partes etiam sicciores minusq; excrementitiæ sunt, & eandem ob causam diuturniores.* Eadem objicit *Vossius* Theol. Gentil. l. 3. c. 60. p. 1055. it. cap. 75. p. 1149. & *Jonston.* H. N. de Quadrup. p. 130. Verum enim verò posset aliquis respondere, quod in hisce *modus* nos lateat. Ab *ignoratione* vero *modi* ad *rei* ipsius *negationem* N. V. C. Sicut nec ab *aquilinis pennis* ad *luporum*

rumpelles, tanquam à *particulari* ad *particulare*, argumentari Philoſopho licitum eſt. Adde quod nec illa ratio à *Geſnero* adducta *Antipathiæ* contraria ſit. Hæc enim non tantum ex *occultis*, ſed *manifeſtis* quoq; oritur *qualitatibus*, uti notum. Quinimò potius pro ſtabilienda eadem conduceret. *Sicciorum* enim animalium partes etiam *ſicciores* minusq; excrementitias, & eandem ob cauſam *diuturniores* dicit. At verò *Lupus* eſt animal *ſiccum*, *ovis* eſt animal *humidum*. Cum igitur *qualitates* horum animalium, *humiditas* vid. & *ſiccitas*, *contrariæ* ſint, non poſſemus non *Antipathiam* iſtis tribuere, quippe quæ *qualitatum diſſimilitudini* natales ſuos debet. Cæterum totum hocce negotium magiſtræ rerum *experientiæ*, committendum, à quâ hujus veritatem omnium optimè expectare poſſumus atq; debemus.

§. VI. Referunt huc & alii alia pro *Antipathiâ* confirmanda, quæ fidem quidem non excedunt, interim tamen nec certam ſcientiam pariunt, ſed animum ſuſpenſum reddunt & diligentiori rerum naturalium ſcrutationi committunt. Talia ſunt, quando dicunt, *pelles ovium lupinis ſuperimpoſitas ſta-*

tim depilari; quam sententiam *Pythagoræ* tribuit *Gesn.* l. a. Quod tamen alii non tam propter *Antipathiam*, quàm propter *duritiem* & *mollitiem* fieri censent. Nam naturâ suâ *luporum* pelles sunt *durabiliores* mollibus ovium. Sic etiam ajunt, *stercus lupi in ovili occultatum pecudes quiescere prohibere*, nisi aufferatur, *Schott.* Phys. Curios. l 8. de Mir. Anim. Terrestr. c. 48. p. 1061. Id quod tamen experimento certo nondum demonstratum. Porrò ab *Aristotele*, *Zoroastr.* in Geopon. 15. *Albert. Pythag. Plutarcho* in Sympos. &c. memoriæ proditum, *ovium*, *quas lupus occidit*, *pelles ac vellera & facta ex his lanis vestimenta, aptissima esse pediculis procreandis*. Unde qui *hominem pediculosum* depingere volunt, *ovillam* ipsi *pellem* induunt, quam *lupi* caput impactis dentibus dilacerat; Atq; hujus rei causas non tam in *occultis*, quàm *manifestis* quærunt *qualitatibus*, potissimumq; in tres partes abeunt, referente *Ulyss. Aldrov.* l. 5. de insect. c. 4. p. 217. Dicunt enim (1) quidam, *carnes* hujusmodi, quæ *lupinis dentibus* laceratæ fuerunt, *dulciores* esse, idq; ob *caliditatem* & *igneam* propè *vim*, in *lupo* existentem, utpote quæ vel *du-*

rissima

rissima ossa in utero liquefaciat, ariditate permollita, atq; inde evenire, ut carnes facilius & celerius *putrescant*, lanasq; itidem contaminatas, contagionem illam in vestes etiam introducere. (2) Alii arbitrantur, hoc non à *calore*, *putredineq;* provenire, sed ab *asperitate* potius, *vellicativâ* quâdam *vi*, quæ *pruritum* suscitet, unde postmodum *humanæ cutis humore corrupto* pediculi suboriantur. (3) Nec desunt, qui statuunt, *animalia, unico* morsu occisa, *solidiora* minusq; *putrefactioni* obnoxia esse, contrarium verò contingere in iis, qui *pluribus* conficiantur plagis, & *lenta* perimantur *morte*, atq; horum contaminatam vim & in pelles & in ungues ipsos penetrare, coria tentare, & ad *putrescendum* compellere, atque hinc *pediculos* provenire.

§. VII. Verùm nulla harùm placet. Omnes enim, ut videtur, falsâ nituntur hypothesi de *Generatione æquivocâ*, quæ merum non-ens est, ut prolixè & accuratè, more suo, demonstravit *B. Sperlingius* in scriptis suis passim. Etenim pediculi non generantur *ex putredine*, non *ex excrementis*, non *ex carne*, sed *ex lendibus s. ovis*, quibus (fœcundis) *forma*

formæ pediculorum *actu* insunt. Quicquid etiam dicat *Aristoteles*, qui pediculos quidem generare lendes concedit, sed nihil ex his nasci statuit. Contrarium enim experientia, cui fides non deroganda, sæpissimè comprobavit. Quod autem *pediculi* frequentiores in *ovium*, quàm *Luporum* aliorumve animantium velleribus reperiantur, *humorum copiæ* adscribendum. Nutriuntur enim *succo plantarum*, *brutorum* ac *hominum*, succiplenum etiam quærunt habitaculum. Hinc pediculis magis infestantur *fœminæ*, quam *viri*, *puerique* magis, quam *juvenes*. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

ANTIΘΕΣΙΣ.

§. I.

Cum hactenus prolixè satis satisq; perspicuè mentem nostram *exposuerimus* atq; *confirmaverimus*, recto jam pede ad adversam partem pergendum & cum eâ quoq; congrediendum nobis est. Confligemus autem imprimis cum *amoris lupini propugnatoribus*, quorum choragus, *Arnoldus Sengverdius*, *Philosophus Ambstedolamensis*. Hic enim

enim Exercit. Physſ. 33. p. 146. *ingenium* magis oſtentans, quàm *veritatem* ſpectans, ſatis ſpecioſis argumentis *Sympathiam ovis & lupi* probare conatus eſt.

§. II. Nam primo: *Lupus quidem*, ait, *inſectatur oves, non quod illas odio habeat, ſed potius, quod amet, ut ſibi gratum & jucundum alimentum; quare ea Sympathia potius, quàm Antipathia deberet dici; Cum alimentum corpori animalis, quod nutritur, conveniens & quodammodò ſimile eſſe debeat.* Argumentum forſan inde emergeret tale: Quicunq; aliquid ut gratum alimentum amat & ſectatur, ille nullum cum ipſo gerit diſſenſum: Atqui lupus ovem ut gratum alimentum amat & ſectatur; Ergò.

§. III. Deinde pergit: *Oves*, inquiens, *fugiunt lupum, non ob Antipathiam, ſed ut pericula effugiant, & vitam tueantur.* Hinc argumentum: Quicunq; alterum averſatur & fugit ob pericula tantùm, ſibi ab ipſo imminentia, ille nullum cum eo gerit diſſenſum. ſeu Antipathiam: Atqui ovis lupum averſatur, & fugit ob pericula tantùm, ab ipſo ſibi imminentia; Ergo ovis nullum cum lupo gerit diſſenſum, ſ. Antipathiam.

§. IV.

§. IV. Tertiò argumentatur: *Si hoc* (sc. hæc ovis fuga) *propter Antipathiam fieret, non tantum ovis lupum, sed lupus etiam ovem fugeret*: Atqui falsum est posterius; Ergò & prius. *Majorem* firmam esse putat, hinc nullam ejus probationem addidit. *Minor* ex experientiâ constat.

§. V. His addit quartò: *Si ex eo, quod lupus oves sectetur & captet, ovesq; fugiant, concludi deberet Antipathia; etiam dicendum foret, antipathiam dari inter venatores & animalia, ut cuniculos, lepores, perdices &c. quæ illi venantur: hic enim etiam persecutionem & insidias venatorum habemus; fugam verò eorum, qui persecutionem patiuntur*: Atqui posterius est absurdum; Ergò & prius.

§. VI. Deniq; subjungit aliud *simile* ab *avaro* & *pecuniâ* petitum, his verbis: *Ne dicam de Antipathiâ, quæ ferè simili modò colligitur inter avarum & pecuniam. Avarus enim pecuniam sectatur, eamq; arrodit, sicut lupus quærit oves; immò magis, cum lupus satur ab animalium persecutione abstineat, iisq; parcat, avaris verò desiderium erga pecuniarum possessionem nunquam expleatur*. Ita ergò concludere vult: Si ex eo, quod lupus inhiat ovibus,

Anti-

Antipathia infertur, sequitur, quod eadem etiam tribuenda sit avaro pecunias corradenti: Atqui posterius est absurdum; Ergò & prius. Hæc *Sengverdius.*

§. VII. Cœterum nonnihil quoq; roboris *Sympathiæ* huic afferret, quod *lupi* asvescant ovibus; proq; ipsis agant excubias, quin & contra ipsos lupos, instar canum, acerrimè eas defendant. Cujus rei testimonium producit *P. Caspar Schottus* in Phys. Curios. lib. 8. c. 48. pag. 1062. *Habuimus*, inquiens, *aliquando hoc in collegio nostro unum* (lupum) *qui non minus catello quovis familiariter cum Patribus nostris versabatur. Paucos ante annos, non procul hinc rusticus opulentus lupum habebat, qui cum canibus caulas defendebat, & lupos invasores strenuè arcebat. Abiit die quodam rusticus cum reliquis canibus rus, relicto solo lupo ad caulæ custodiam. Irruit interim lupus alius, & repente 4. aut 5. strangulavit uno impetu oves, antequam à lupo domestico arceretur. Victus tandem ab hoc fuit atq; occisus, & ovium cadaveribus tectus. Rusticus ut domum reversus, videt oves occisas, in cumulum conjectas, & propè cubantem lupum; ratus ab ipso occisas, ex onerato sclopeto trajecit eum glande plum-*

plumbeâ. Deprehenso deinde errore suo, adeò doluit, ut diceret, maluisse se dimidium gregem perdere, quàm fidelissimum lupum.

ΛΥΣΙΣ.

§. I.

VErum enimverò hæc tanti non sunt ponderis argumenta, quæ à veritatis tramite nos dejicere, propositamq; sententiam destruere valeant. Etenim quod attinet ad *primam Sengverdii* rationem §.2.Resp. (1) Falsum est, *lupum insectari oves ob amorem*. Ecquis enim, quæso, hic est *amor*, qui *rei amatæ interitum* expetit? Ubinam locorum, ubinam gentium reperitur? nusquam sanè. Nec ab orbe condito ad hæc usq; nostra tempora talis ne fando quidem fuit auditus. Quid? quod nec mente concipi possit, nisi ab eo, qui mentem in calcaneo gerit. Vera enim contradictio est: *amare*, & *devorare*. Concludimus ita: Q. corpus omni opere alterius quærit interitum, illud nullam cum Ipso gerit Sympathiam: Atqui lupus omni opere ovis quærit interitum; Ergò. *Major* est manifesta. *Amor* enim, ut jam supra dictum,

dictum, non intendit *subjecti corruptionem*, sed *conservationem*. *Minor* negari non potest. (2) hoc pacto idem dicendum esset, de *mure*, & *fele*, de *accipitre* & *columba*, de *milvo* & *pullis gallinarum*, aliisque, quibus tamen ne tantillum quidem Sympathiæ inest. Neque hac ratione *columba* se occultaret advolante *accipitre*, *gallinarumque pulli* non abhorrerent, vel è longinquo conspectum *milvum*. *Amor* siquidem non alterius *fugam*, sed *consociationem* potius ac *conservationem* desiderat. (3) *ovinam carnem lupo* quodammodò *similem* esse conceditur, sed exinde tamen *Antipathia* non statim negatur. Requirit enim hæc *dissimilitudinem qualitatum*, quæ inter *lupum* etiam atque *ovem* datur. Propter *qualitates* enim *contrarias* lupus contrariatur ovi. Est autem *caro ovina simile & conveniens nutrimentum lupi* tùm ratione *consuetudinis*, quia natura lupi *assvevit* eadem vesci. *Consvetudo* verò est *altera* quasi *natura*, & ea quoque, quæ *minus salubria* & convenientia aliàs sunt, sine damno recipit. Sic *Puella* fuit, quæ ab ætate primâ solo ferè vesci svevit *veneno*, quod utut alias vehementissimum, nequicquam tamen damni ipsi intulit, sed cum

naturâ ejus ſeſe univit: unde & viſu tandem ac tactu venena adſtantibus efflavit. Alia *araneas* habuit in deliciis ſine noxa, ſine incommodo: cum tamen pauco vino, in quo aranea extincta eſt, epoto, plures pereant. Rex ille Indus *ſerpentibus* ac *venenis* quotidiè veſcebatur, & vel ſolo *ſputo* ſibi inviſos, mirificè occidebat. *Sperling.* in Exercit. Tum ratione *oblectationis.* Cibus enim, qui cum voluptate aſſumitur, avidiùs à ventriculo arripitur, promptiusque & expeditius concoquitur. Contrà qui cum tædio acceptatur, nec avidè à ventriculo arripitur, nec expeditè concoquitur. (4) Atque ſic facilis eſt reſponſio ad argumentum: Scil. (α) negatur *Major.* Antipathia enim non ex *alimento*, ſed ex *qualitatum diſsimilitudine* judicanda. Hinc (β) rectius invertitur h. m. Q. alterum *ſectatur & amat, ut gratum alimentum*, ille *nullum* cum ipſo alit *conſenſum* ſ. *Sympathiam*: Atqui Lupus ovem ſectatur &c. Ergò. *Major* clara, quia *alimentum* aſſumtum *corrumpitur*, adeoque non manet id, quod erat antea. At verò *amor*, ut denuo repetamus axioma, non *corruptionem*; ſed *conſervationem* intendit. Hæc ad primum.

II. Al

§. II. *Alterum* verò argumentum admodum imbecillibus ſtat talis. Nam & *Major* & *Minor* claudicant. *Major*, quia, aliquem ob pericula imminentia *fugere*, & *diſſenſum* cum eo alere naturalem, *oppoſita* minimè ſunt, cum in uno eodemque ſubjecto reperiri poſſint. *Minor*, quia oves fugiunt lupum, non tantùm ut *pericula effugiant*, ſed etiam ob *innatam Antipathiam*, quam ob virium infirmitatem *mutuâ dimicatione* manifeſtare nequeunt, ſed ſolâ *hoſtis fugâ* oſtendunt.

§. III. Ejusdem valoris *tertium* quoq; (1) ob *inconſequentem Majoris conſequentiam*. Non enim collectio valet: Si ovis propter Antipathiam lupum fugeret, lupus etiam fugeret ovem. Simili enim modô concludere poſſemus: Si bufo propter Antipathiam araneam abhorret & fugit; Ergò etiam aranea bufonem. Si muſtelæ & teſtudines propter Antipathiam fugiunt ſerpentes; Ergò etiam ſerpentes fugiunt illos. Si homines nonnulli tolerare non poſſunt feles; Ergò etiam feles tolerare non poſſunt homines. Minimè. (2) ob *falſam præſuppoſitam ſententiam*. Nititur enim falsâ hypotheſi *Sengverdius*, quaſi uterque ἀντιπαθοῦντων in alterum *æqualiter*

liter agere deberet. Contrarium certè testatur satis superque experientia vel unico illo exemplo, quod *Libavius* part. 1. diss. 4. ex D. *Georgio Mylio*, Theologo Jenensi, attulit. Scilicet *cum Parens juberetur recens natum amplecti, abhorruit, nec postea tulit ejus præsentiam in eodem conclavi absque lipothymia. Jam duodenarius, duodecim aliis similiter vestitus, non admonitore Patre, cùm satis jamdiu in convivio reliqui ministrassent, ipsius quoque tanquam qui priùs mensæ adstitisset, intrat. Sed nondum conspectus à Parente, ipseq; ignorans, quinam esset inter convivas, intulit ei pristinam affectionem, lipothymia cum angore sudoreque invadente. Jussus discedere, perpetuo divortio est separatus.* Dicat nunc *Sengverdius*, annon vera *Patrem* inter & *filium* fuerit *Antipathia?* Discat quoque, quod, cùm *Pater* quidem *abhorruerit filium*, *filius* autem non ita *Patrem*, ἀντιπαθῶντες *æqualiter* in sese invicem non semper agant. *Fugit* autem *ovis lupum*, quia *hic* longè *fortior est* illâ. *Fortius* verò quod est, semper *fugat debilius*, & hoc *fugit* illud. Quodsi autem *paritas virium* in utroque detur, neutrum alterum *fugit*, sed utrumque *resistit*, & *alterutrum victum* abit.

§. IV. Ne

§. IV. Nec quicquam valet *quarta* illa objectio: *Si ex eo, quod lupus oves sectetur & captet, ovesq; fugiant, concludi deberet Antipathia, etiam dicendum foret, Antipathiam dari inter venatores & animalia, quæ illi venantur* &c. Resp. (1) Nulla *consequentia*. Non enim *quodlibet odium* Antipathiam parit, sed *insigne* & à *natura congenitum*. (2) Negatur, *odium venatori* intercedere cum *feris*, qui eas potiùs ob *utilitatem* vel *voluptatem* captat. (3) Neque simpliciter verum est, quod dicit, *ex eo, quod lupus fuget oves & hæ fugiant, colligi Antipathiam*. Hoc enim tantùm *externum* quid est; *Antipathia* verò ex *interno* oritur principio, *qualitatum* videlicet *dissimilitudine*, quam & hic non tantùm *in vita*, sed *post mortem* etiam ipsam (si fides habenda dictis) reperimus. Conf. κατώτερον. (4) Quid? quod longè distet *activa venatorum persecutio* à *persecutione luporum*. Illa enim est *accidentalis*: hæc *naturalis*. Illa *interdum*; hæc *semper* contingit. Illa *liberè*; hæc *necessariò* perficitur. Illa potius *ob amorem*; hæc ex *naturali instinctu* suscipitur. Illa *nonnunquam conservationem*; hæc verò *semper destructionem* subjecti intendit.

§. V. Denique & *ultimum Sengverdii* argumentum ſua ſponte corruit, nec dignum eſt prolixiori reſponſione. Nam ab *avaro* ad *lupum* argumentari, idem eſt, ac ſi à *baculo* ad *angulum* concludere vellem. Et ut omne *ſimile*, ita præprimis & hoc, admodum eſt *diſſimile*. Quod verò dicit, *lupum ſaturum ab animalium perſecutione abſtinere*, falſum prorſus eſt. Legat modò *Geſnerum*, legat *Aldrovandum*, conſulat experientiam, & aliud audiet. Lupus enim, etiamſi ſatur, inſidiatur ovibus, & non tantum tot, quot ſatis ſunt ad ventrem, jugulat, ſed totum etiam gregem, nî ipſi reſiſtatur, perdit.

§. VI. Quod verò attinet ad noſtrum, quod in gratiam Sympathiæ hujus defenſorum adjecimus, dubium; Reſp. (1) Diſting. inter *Sympathiam veram* & *apparentem*. Videtur quidem fuiſſe *amor* quidam naturalis in illo lupo cuſtodiente oves ſibi concreditas fideliter; Sed *verus* tamen ille minimè fuit, cùm non à *naturâ productus*, ſed per *conſvetudinem* ab alio *externo* ipſi inductus, adeoque non *ſpontaneus*, ſed *coactus* fuerit. (2) Diſting. inter *Sympathias actum primum* & *ſecundum*. negatione *hujus* ad inficiationē *illius* N. V. C

Secun

Secundus quidem in lupo illo abfuit, ſed *primus* tamen re verâ adfuit, quippe qui *naturaliter* à lupo *non ſeparatur*, neque *ſeparari poteſt*. Hinc eſt, quod *Ariſtoteles* lupum *perpetuò ferum* eſſe ait: Et *Albertus* cum *Stumpfio* auctor eſt, *lupum*, catulum adhuc, *cicurari* quidem poſſe, & canis inſtar ludere, non tamen *deponere* odium in agnos.

CAPUT V.

DE PISCIBUS FOSSILIBUS.

Cibitates & animantes ſubterraneæ. Senecæ ſententia de piſcibus foſſilibus. Nonnullis oſtenta videntur. Auctores affirmantes. Status Controverſiæ. Fluvii ſubterranei. Naves terrâ erutæ. Loca, ubi effodiuntur piſces. Objectiones ſolvuntur. Quomodo piſces in terræ cavernas deveniant? Pulli gallinarum in fornacibus excluſi. Reſpirationis materia.

T*Erram* ſi contempleris, divinum aliquod

cœlestis Regis θαυμαλεργημαποταμεῖον non immeritò dixeris. Vah enim, quàm multa, quàm *admiranda supra, infrà*, & præprimis *intra* eandem *Naturæ* spectare licet *opera*! Ecquis est, qui non *miretur* artificiosissimas illas *mineras*, auri argentique feracissimas? Ecquis est, quem non in *admirationem* rapiant *animantia*, omnis ferè generis, *intra terræ cavernas* agentia? Non jam dicam de *Talpis*, ad perpetuas ferè condemnatas tenebras; neq; quicquam *de serpentibus in terræ visceribus* latentibus exponam; omittam quoq; *aves*, non *aëreæ* tantùm *regionis*, sed *subterrestrium* etiam *cellarum incolas*; tantùm contemplandos sistam *homines Civitatesque subterraneas*, quas *Gaffarellus* in suo, de *Cryptis toto orbe celebribus*, libro fusè describit. Hîc certè aliquis quod *miretur* pariter atque scrutetur, invenit. *Kircherus* equidē, stupendæ eruditionis Auctor, rei istius veritatē sibi nō persvasisset, nisi ipse hujusmodi habitationes tribus in locis propriis oculis lustrasset. Cùm enim Anno 1637. Melitæ commorarer (inquit *Mund. Subterran. part. 2. l. 8. s. 4. c. 3. p. 97. B. 98. A*) contigit, ut quodam die cum ordinis Hierosolymitani Magistro. *Joanne Lascari* in villam

villam quandam amœnitate & deliciis refertam, quod Buſchettum vocant, concederem: ubi cùm de natura & proprietate Inſulæ variis ratiociniis ultrò citroq; actum fuiſſet, addidit dictus Magnus Magiſter, eſſe in vicino colle habitationem ſubterraneam hominum ſibi ſubditorum, ſeque deſiderare, ut eam adirem, luſtraremque miram hominum in adornandis ſubterraneis iſtiusmodi ſpecubus, diſponendisque habitaculis induſtriam; & cùm nil mihi gratius poſſe contingere, dicerem, adjuncto mihi duce viæ cryptarumque perito, habitationem acceſſi, quam Arabica lingua, indigenis Inſulæ domeſtica & familiari, *Gbaar Keber*, id eſt, ſpeluncam magnam vocant. Ingreſſus itaq; portam principalem longè latèq; patentem, plenam hominibus utriusque ſexus, pueris puellisque ruſticorum more veſtitis reperi, & tametſi confusè inter ſe habitare viderentur, ſingulæ tamen familiæ propria ſibi receptacula ſ. receſſus, ſ. arte ſ. natura factos poſſidebant: intra quæ per alias aliasq; cellulas pulchrâ diſtributione factâ, alimentorum differentes ſpecies condere ſolebant; hic lectus intra rupem inciſus, illic panibus ca-

ſeisq;collocandis apti loculi, alibi vaccarum, pecorum aſinorumque ſtabula, quin & gallinarum nidi comparebant; non deerant fictilia vaſa ad aquam ciſternarum loco continendam ſatis capacia: cœparum alliorumq; prælongæ catenæ, veluti corymbi quidam, parietes exornabant; aderant & fornaces coquendis panibus oportunæ, quibus ſubterraneis Cryptarum habitaculis lumen per rimas ſcopulorum ac foramina in uſum eâ induſtriâ facta, ut nec pluvia, nec ventus facilè iis nocere poſſet, allabebatur; fornaces quoq; ſuos habebant caminos, ne accenſo igne, ſine camino fumo per cryptas diffuſo, ſuffocarentur; Interdiu tum ruſtici extra cryptam laboribus exercebantur, tum neceſſaria ad vitam ſuſtentandam in vicinis locis procurabant, mulieres colo, caſeis faciendis ſimilibusq; fœminis propriis laboribus deſtinabantur: & quoniam lignis carebant, eorum loco excrementis jumentorum ad Solem exſiccatis ignem faciebant: Homines utriusque ſexus prægrandi ſtatura, robuſti & Macrobii ad usque decrepitam ætatem vivere dicebantur, & quod mirum eſt, fœminæ non invenuſtæ formæ; adeò autem crypta-

rum

rum suarum desiderio tenentur, ut si quando eos vel vendendi res suas, vel comparandi alia necessaria Melitam abeundi necessitas urgeret, ibidem tanquam exilio damnati vix teneri posse videbantur, quin statim expeditis negotiis cryptas suas repeterent, tum ne quidem unica nocte ab iis sese removeri paterentur, carnibus vaccarum, pecorum, gallinarum, prorsus abstinebant, utpote quas in lucrum tantùm venditione factum reservabant: Pane, caseo, lacte, cæpis, allio, herbisq; contenti: Magnus Magister, ut veritatem experimento mihi monstraret, mensam sterni jussit, à quâ ex unâ parte omnis generis carnes, & quicquid tandem ex opiparo & magnifico sanè prandio supperfluum fuit cupediarum; ex altera caseum, cœpas, allia, caules & pulmenta, quos *Maccarones* vocant, poni præcepit, vocatosq; Troglodytas suos, quos ad culinam serviendum ex cryptis accersiri curarat, mensæq; assidere jussit, qui mox relictis carnium deliciis, iisque ne tactis quidem, ad cibos illos, quibus assveverant, quibusque libenter vescebantur, conversi, plenis buccis, pugnis & canina quâdam aviditate devorabant. Hæc ille. Quibus alia ibidem

ibidem plura ſubnectit exempla notatu planè digniſſima. Sed & *piſces foſſiles ſubterraneis* hiſce *admirandis* accenſere, quid vetat? Singulari enim non caret *admiratione*, *piſces*, *maris inhabitatores*, relictis quaſi propriis ſedibus in alienas ſe recipere, *terræq;* evadere *cives*, quod in hoc capite pluribus expoſituri ſumus. FELICITER!

SECTIO I.

ΠΡΟ ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Exhibens Auctorum diſſenſum.

§. I.

F*Erdinand. Franciſc. de Corduſa didaſcal. Multiplici c. 11.* negat eosdem dari. Cui etiam nonnulli adjungunt *Senecam Nat. Quæſt. lib. 3. cap.* 17. Sed minus rectè. Nam ibi non ex *ſuâ*, ſed ex *Lucilli* ſententiâ ſic ſcribit lepidè ad Lucillum: Theophraſtus affirmat, piſces quibusdam locis erui. Multa hoc in loco tibi in mentem venêre, quæ urbanè in re credibili fabuloſaq; dicas, non cum retibus aliquem, aut cum hamis, ſed cum dolabra ire piſcatum. Expecta, ut aliquis in mari venetur. Quid eſt autem, quare piſces in ter-

ram non transeant, si nos maria transimus? Aliàs contrarium manifestè apparet ex eodem *lib. 3. q. 19.* ubi in hæc verba desinit: Magna vis aquarum in subterraneis occulitur, fertilis, fœdo situ piscium. Si quando erupit, affert secum immensam animalium turbam, horridam aspici, & turpem ac noxiam gustu. Certè cùm in Curia circa Myndum urbem talis exilisset unda, periêre quicunq; illos ederant pisces, quos ignoto ante eum diem cœlo novus amnis ostendit. Nec id mirum; erant enim pinguia & differta, ut ex longo otio corpora, cæterùm inexercitata, & in tenebris saginata, & lucis expertia, ex quâ salubritas ducitur. Nasci autem posse pisces in illo terrarum profundo, sit indicium, quod anguillæ quoque latebrosis locis nascuntur, gravis & ipse cibus ob ignaviam; utiq; si altitudo luti penitus abscondit.

§. II. Aliis *pisces fossiles ostenta* videntur. Sic *Livius lib. 42. c. 2.* prodigii loco narrat in Gallico agro, cum induceretur aratrum, sub existentibus glebis pisces emersisse. Sic *Juvenalis* etiam *Sat. XIV. v. 63.* pro re insolita maximeq; admiranda eos habet, dum canit:

Quodq;

Quodq; coronata lustrari debeat agna
---- ---- ---- *jam sub aratro*
Piscibus inventis ---- ---- ----

§. III. Affirmant verò clariùs eorum existentiam *Auctor* de mir. Ausc. c. 69. (Quem alii *Aristot*, alii *Theophrast. Eresium*; esse contendunt) *Plinius* lib. 9. c. 57. *Strabo* lib. 4. Geogr. c. 12. *Polybius* lib. 34. Hist. *Albertus* lib. 24. de Animal. *Athen.* lib. 8. c. 1. *Apulejus* Apologet. primo, *Theophrast.* lib. de piscib. *Pompon. Mela* lib. 2. c. 5. f *Joh. Camers* Comm. in Solin. c. 56. *Agricola* lib. de Anim. Subterr. *Gesnerus* lib. 4. Aquatil. *Casaubonus* Comment. in Strabon. *Leonicen.* Hist. var. lib. 2. cap. 15. & lib 3. c. 12. *Aldrovandus* de piscib. lib. 5. c. 8. p. 579. 580. *Vadianus* Comment. in Pomp. Mel. lib. 2. c. 5. *Matthiolus* Præfat. in lib. 5. Diosc. *Majolus* Canic. Colloqv. 9. p. 376. *Guilandinus* Comm. in Plin. de papyr. p. 12. 13. *Nieremberg.* lib. 6. Hist. Nat. c. 15. & lib. 11. c. 38. item lib. 1. de miraculos. Nat. cap. 15. *Kircherus* Mund. Subterran. lib. 6. part. 2. *Schottus* Phys. Curios. lib. 10. c. 16. p. 1340. Sachs Gamm. c. 7. p. 121. seq. Atq; his etiam nostrum adjicimus calculum.

SECTIO

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Præmittens ſtatus Controverſiæ conſtitutionem.

§. I.

D. Inter *piſces foſſiles*, qui intra terram degunt, hinc etiam dicuntur *ſubterranei* atq; *terreſtres*; & *aquatiles*, qui aquas (conjunctas, utpote flumina, maria &c.) incolunt. De *illis*, non *his* agere jam conſtituimus.

§. II. D. inter *terram ſiccam*, & *humidam*. Non in *illâ*, ſed in *hâc* piſces vivere poſſe dicimus, ſcil. in locis paludoſis atq; humidis, intra terræ cavernas exiſtentibus.

§. III. D. inter *terram* ſpectatam *per ſe*, ratione *eſſentiæ*; & *per accidens*, ratione *exiſtentiæ*. *Hoc*, non *illo* modo *terram* appellamus *humidam*, ſc. quando accidit, ut *aquis ſubterraneis* humectetur.

§. IV. D. inter *aquam conjunctam*, & *terræ permiſtam*. Non in *illâ*, ſed in *hâc piſces foſſiles* vivunt.

§. V. D. inter *differentiam atque immutationem eſſentialem*, & inter *accidentalem*.

Non

Non putandum eſt, *piſces* illos *foſſiles* mutari, vel ab aliis ſui generis, in aquis degentibus, diſtingui *eſſentialiter*, ſed tantùm *accidentaliter*. Sic anguillæ, intra terræ cavernas paludoſas contentæ, ab iis, quæ flumina inhabitant, non *eſſentialiter*, ſed tantùm *accidentaliter* differunt.

§. VI. D. inter *actum natandi primum*, & *ſecundum*: ſ. inter ipſam *natandi potentiam*, & *exercitium*. Concedimus *piſcibus foſſilibus* ſeu *terreſtribus* convenire *actum natandi primum*, ſ. ipſam *potentiam*; interim tamen *actum ſecundum* ſ. ipſum *exercitium* ipſis meritò denegamus.

§, VII. D inter *translationem*, & *generationem*. Dicimus aliquos *piſces transferri* ex aquis in terram idq́; *ob aquarum ebullitionem* vel *fluviorum inundationem*. Nonnunquam tamen ipſos etiam in locis ſubterraneis iisq́; humectatis *generari* poſſe, aſſerimus.

§. IIX. D. inter *generationem univocam* & *æquivocam*. Non *hanc*, quæ purum putum figmentum eſt; ſed *illam* defendimus, ſtatuentes, *piſces* beneficio principii *ſeminalis* ut in mari, ita & *extra* illud ſeſe multiplicare.

§. IX. D

§. IX. D. inter *locum naturalem*, & *violentum*. Non in *hoc*, sed *illo pisces* illos *fossiles* collocamus.

§. X. D. inter *locum naturalem simpliciter*, *absolutè*, & *per se*; & *secundum quid*, s. *certo respectu* & *per accidens talem*. Non *illum*, sed *hunc* intelligimus. Scil., *pisces fossiles* vitam agunt *in terra*, non tanquam in *loco simpliciter naturali* & *per se*; sed *secundum quid* s. *per accidens tali*, quatenus nimirum *aquosâ* materiâ *terra* illa est irrigata.

§. XI. D. inter *casus naturales*, & *supernaturales*. *Illis*, non *his* annumeranda *piscium fossilium* inventio est.

§. XII. D. inter *miraculum* s. *prodigium propriè*, & *impropriè* dictum. Concedimus pisces illos *fossiles* esse *admirandos*, at verò, quod *miraculum propriè* constituant, negamus.

§. XIII. D. inter *respirationis piscium fossilium absentiam*, & *obscuram advertentiam*. *Hanc* admittimus, *non* illam.

§. XIV. Deniq; præsupponimus, *Terram* esse quidem *corpus solidum*, non *Mathematicè* tantùm, sed etiam *Physicè*; verùm ita tamen, ut vias, speluncas, atq; cavernas quo

que admittat. Docet enim id ipsum *Consensus fluviorum cum mari*, de quo pluribus egit Experientiss. Dn. *Sachs in Oceano Macro-Micro-Cosm.* §. 14. 23. 24. 56. & *seq.* Conf. *Joannes Kempfius de Acidul. Schwalbac. Epist.* 5. *p.* 40. Docent id ipsum *fluvii varii*, qui, ubi aliquod spatium cursu absolverunt, in terram se condunt & subterraneo volvuntur gressu, ut de Tigride *Justin. l.* 42. *Hist. c.* 3. §. 9. *Senec. l.* 3. *Nat. qq. c.* 26. & *l.* 6. *c.* 8. de Pyramo, Cappadociæ fl. *Strabo l.* 12. de amne propè Pompejopolim, *Pompon. Mela l.* 1. *c.* 6. de Eulæo amne apud Susianos non longè à Caucaso monte, *Plin. l.* 6. *c.* 27. & de Ana fluvio, qui Provinciam Hispaniæ Estra madaram secat, medio spatio quasi absorbetur, & post 15. leucas sub terris actas rursus emergit, unde cum toto isto spatio lætissima sint pascua, inter mirabilia Hispaniæ censetur, fluvium ibi esse, super quem animalia pascantur, *Boter. descript. Hispan. ap. Joh. Laet. p.* 81. Vid. *Baccius de Therm. l.* 1. *c.* 2. *f.* 4. & *Majol. Canic. Colloqv.* 11. *p.* 426. Deniq; docent etiam idipsum tot *vestigia marina* sub terrâ reperta. In *Rexem* prope Trajertum Mosæ, *Navis maritima* sub arenoso colle reperta est Anno 1594. & in tractu

Peele

Peele *Pini* seriatim sub terrâ repertæ, quæ nonnisi in montibus proveniunt. *Helmont. in Tr. de Terra §. 7. Ex Fulgoso* narrat *Theodorus Moretus Tr. de Æst. mar. c: 21. §. 275. p. 112.* anno 1461. propè Bernas inventum infra terras pervetustum *ligneum Navigium*, ab iis, qui in fodinis 100. orgiis depressi metalla scrutabantur, adfuerunt & *vela Cannabina*, & *ferrea anchora* & *galeæ 40.* virorum; quam Historiam quoque recenset *Ludov. Moscardi l. 11. Mus. Ital. c. 111.* vid. *Nieremberg. lib. 5. c. 2. H. N.* & sæpius laudatus *Dominus Sachs in Gamm. l. 1. c. 7. p. 130. 131.*

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Sistens Affirmativæ sententiæ Confirmationem.

§. I.

Quod itaq; *pisces fossiles* dentur in naturâ ab ipsa experientiâ, quæ utramq; hic facit paginam, confirmamus, hunc in modum συλλογίζοντες: *Cujuscunq; rei existentiam experientia comprobat: illa temerè non est neganda: qui piscium fossilium existentiam experientia*

comprobat. Ergo. *Minorem* validam reddunt variatum *veterum*, tum *recentiorum experimenta*, varios in variis locis *ſubterraneos piſces* exhibentia. Sic *in variis Ponti locis piſces* reperiri *foſſiles*, jam olim *Theophraſt. lib. de piſcib.* (quem *Geſnerus* lib. ſuo quarto de Aquat. inſeruit) memoriæ prodidit, dum ita ſcribit: Piſces alicubi foſſiles ſunt, ut circa Heracleam, & alibi in Ponto. Naſcuntur autem circa fluvios, & aquoſa loca, quæ ſiccantur paulatim, piſces ſubinde humorem ſectando terram ſubeunt: quâ demum ſiccatâ, remanent in ea, veluti vivi ſepulti, & ut animantia quædam in ſuis latibulis hyeme condita durant, ſine ſenſu ferè & motu torpida. Quod ſi loca illa, priusquam denuò aqua accedat, fodiantur, piſces illi moventur. Sic & in ponto contigit, piſces glacie & gelu occupari, neq; ſentire aut moveri prius, quam in ollas coquendi injiciantur. Præ cæteris autem gobio hoc accidere videtur &c.

§. II. Circa *Babylonem* eosdem effodi *Auctor. lib. de mir. Auſcult.* c. 69. tradit, quanquam ex aliorum tantùm relatione ſapiat. Ita verò ille: Circa Babylonem ajunt quidam in cavernis aquoſis piſciculos latere: verùm

rùm arefacto flumine, ad arenas pastum prodere, alarum subsidio, caudæq; motu: cæterum fugere prosequentes, caputq; humo mersum reliquo corpore tegere. Quod multi insequendo, irritandoq; explorarunt. Caput habent ranæ marinæ simile, reliquum corpus gobio, branchias verò piscibus aliis.

§. III. Idem ipse etiam ad *Heracleam* circa Lycum fl. eorum existentiam confirmat *Cap. 70.* Addit quoq; *Cap. 71.* In *Paphlagonia* tales inveniri. Atq; ex hoc ipso Auctore *Plinius* quoq; sua desumsit, quæ *lib. 9. H. N. c. 57.* tradit. unde verbis illis hîc describendis supersedebimus.

§. IV. Cæterum post *Pyrenen* ad Narbonem fl. terram etiam piscibus gaudere, testatur *Athenæus lib. 8. Dipnos. cap. 1.* ex *Polybio lib. 34. Hist.* qui planitiem esse inquit post Pyrenem, ad Narbonem usque fluvium, per quam Illebernis & Roscynus fluvii civitates à Celtis conditas ejusdem nominis alluentes defluunt, in quâ pisces sunt effossi. Habet autem hæc planities terram exoletam, multumq; gramen innatum. Subter terra est sabulosa ad duas vel tres ulnas, sub quâ aqua invenitur, quæ à fluminibus aberravit, in quâ pisces

ſub terram diſcurrunt per rivos cibi gratiâ, quia graminis radicibus mirum in modum delectantur: totam planitiem idcirco piſces ſubterranei occuparunt; quos excavantes capiunt.

§. V. Juxta *Ruſcinonem* fl. idem contingere, docet *Strabo lib. 4. Geogr. c.12.* juxta Ruſcinonem, inquit, lacus eſt, & ager, quem alluit, exiguis ſupra mare refertus ſalinis. Habet is effoſſiles piſces Ceſtrias: nam ſi quis duos aut tres fodiat pedes, & in limoſam aquam faſcinam demiſerit; piſcem eximiæ magnitudinis fixum penetrat. Limo autem inſtar anguillarum alitur.

§. VI. Ultra *Albim*, *Orteranti* piſces ejusmodi animadvertit *Agricola lib. de animant. ſubteran. p. 74. 75.* quando ait: Piſces foſſiles duorum generum inveniuntur, ſed intra terram nonnihil teretes, ut anguillæ; ſed pelle carent tenaci, ſquamis etiam, ut & gobii, duramq; nec admodum jucundam guſtui habent carnem. Majores craſſi ſunt ferè duos digitos; Minores digitum. Illi longi circiter palmos quatuor; hi tres. Sonum edunt acutum. Eos pharmacopolæ in vitrum incluſos de trabe ſuſpendunt, ut ſpectaculum hominibus

nibus præbeant, longoq; tempore aluut pane, & aliis quibusdam. Ex fluminibus autem qui currunt in locis paludosis, egressi per riparum venas longius penetrant in terram: & interdum in proximi oppidi cellas usque subterraneas, in quibus vinum vel Zythum solet condi: Attamen Theophrastus scribit eos reperiri juxta fluvios & in locis aquosis. Verum nullos pisces, qui in fluviis versari semper soliti fuerunt, post inundationes in locis siccis relictos subire terram videmus, sed omnes de vitâ decedere. Itaq; cum fossiles pisces etiam in locis, quos non inundavit aqua, soleant inveniri, certum est, illos eò per venas & fibras penetrare: De quâ re ultra Albim Orteranti, quod oppidum est ad Polsenicium fluvium, diligenter adverti.

§. VII. Nec tantum *Agricola*, sed *Fabricius* quoque in *Epist. ad Gesnerum* scriptâ *lib. 4. de Aquatil. p. 443.* idem confirmat & subjungit, quod iidem pisces etiam ad Dobram rivum, prope Hanam oppidum, inveniantur. Item in pratis ad Rederam fluvium copiosè effodiuntur, si flumen inundet. Ex terræ cavernis ingrediuntur etiam lacus & paludes. Cum aquæ extra ripas excrescunt, è

terra prodeunt. Aquis autem residentibus, in pratis campisve relinquuntur; & ubi greges sunt relicti, vorantur à suibus. Cùm in rivis paludibusve capiuntur recentes, solent à tenuioribus etiam mensis adhiberi. Serviunt imprimis fraudi Agyrtarum, qui eos alunt, & vitris inclusos multitudini ostentant pro serpentibus, quia formâ à parvo serpente non multum differunt. Sunt qui eos spirare putent: ubi enim plures hujus generis pisces simul sunt, spuma supra eos effertur. Vitro incluso ori angusto, crescunt, à suo quodam succo vivunt usq; ad semestre. Hæc *Fabricius*.

§. IIX. Plura qui desiderat exempla, consulat *Nierembergium*, *Leonicenum*, *Majolum*; *Vadianum*, *Casaubonum*, *Guilandinum*, *Matthiolum*, *Jonstonum & Schottum*, qui hæc ipsa quoque recitat, locis suprà allegatis. Nobis jam ad alia festinandum.

SECTIO

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Subjungens argumentorum contrariorum Resolutionem.

OBJECTIO I.

Nullum animal aquatile potest generari in terra: atqui pisces sunt animalia aquatilia, Ergo non possunt generari in terra, & p. c. non dantur pisces fossiles.

SOLUTIO.

Resp. (1) *in directè* per *instantiam*, subsumendo: atqui *anguillæ* sunt animalia aquatilia; Ergo non possunt generari in terrâ. Contrarium hactenus non tantùm *Aristotelici*, sed ipsa quoq; *experientia* comprobavit. vid. *Rondelet. de Aquat.* qui testatur, se vidisse anguillas è terra defossas: Conf. etiam *Seneca lib. 1. c. 19.* (2) *Directè* per *distinctionem* inter *terram siccam & humectatam*. Concedimus, nullum animal aquatile generari posse in *terra omninò sicca*; at verò quod nec in *limosis terræ locis* illud contingere possit, negamus. Unde ita limitamus *Majorem*: N. Animal aquatile potest generari in *terra* sc. *sicca*;

Atqui pisces, &c. E. Et sic concedimus totum argumentum. Quod si vero *Major* indifferenter intelligatur de *terra* s. *humida* s. *sicca*, eandem negamus, ejusq; probationem exspectamus.

EXCEPTIO.

Sed quæris: *quomodo pisces, vel piscium semina in terræ cavernas devenire possint?*

SOLUTIO.

Resp. Exc. *Dn.* Sachs. *l. c. p.* 124. I. *ob inundationes fluviorum* (α) *relictis ipsis piscibus in terra*, quando sc. pisces simul exeuntes aquâ recedente, in terrâ relinquuntur, quod in Nili inundatione fieri solet, quare & in Ægypto *piscium messis* fieri dicitur, quando pisces parentis fluvii decessu deserti ad brevia limosa adhærescunt, atque incolis ad prædam relinquuntur. Hi tamen pisces propriè ad fossiles & terrestres non spectant. (β) *relictis piscium seminibus*, quæ post in terrâ perficiuntur beneficio caloris aliorumq;: non aliter ac *sine incubatu Gallinarum ova excludi* posse in *fornacibus Ægypti*, *Pererius in Mag. l.* 1. *c.* 12. §. 4. *p.* 118. & *Busbequius Epist.* 3. *Legat. Tur. p.* 165. sibi persvadent. Quod ipsum etiam αὐτοπτης

obser-

observavit *Bellon. lib. 2. obser. 31.* & *Veslingius in observ. & Epist. ad Bartholin. edit. Epist. 1. & 2.* quem pullorum in furnis excludendis modum in Hetruria *Ferd. II.* instituit, teste *Joh. Rhodio ad CL. Wormium in literis ap. Th. Bartholinum cent. 6. hist. 11. p. 217.* seq. itemq; in Daniâ *Christianus IV.* referente *Barthol. l. c. p. 217.* nec non in Anglia *Heydonius*, affirmante id illustri *Digbæo de Corp. Nat. Tom. 1. c. 24. p. 280.* & quidem non sine felici successu, ut glorientur. II. *Ob ebullitionem aquarum*, ut de Stagno circa Liguriam in Massiliensi agro *Arist: l. de Mir. Auscul. c. 87.* tradit. III. *Ob terram exoletam*, sub quâ aquâ stagnat à fluminibus aberrans, sub quâ *pisces subterranei* discurrunt. Tales sunt *pisces subterranei* ad Pyrenæos lacum Roscyno fl. adjacentem, ubi paulo supra mare locus aquosus, fossiles continens mugiles, ubi enim tres pedes foderis, immisso in aquosum limum tridente, configere licet pisces fossiles justæ magnitudinis, *Strab. l. 4. Geogr.* IV. *ob piscium semina*, quæ unà cum humoribus per venas & fibras terræ se insinuant, hinç nati pisces altè in terrâ, ubi nulla præcessit inundatio. Vid. jam supra laudatus *Experientiss. Dn. Sachs, l. a.*

OBJE-

OBJECTIO II.

Nullus piscis potest vivere extra aquas: atqui pisces fossiles possunt vivere extra aquas; Ergo non sunt pisces. Majorem probant, quia nullum animal extra suum elementum vivere potest ad longiusculum tempus. *Minorem* verò nostram esse asserunt.

SOLUTIO.

Resp. per *Dist.* supra in παράδοξον §. IV. propositam *limitando Majorem*: N. piscis potest vivere extra *aquas*, l. *conjunctas*, l. *terræ permistas*. Jam negamus *Minorem*. *Pisces* enim *fossiles* non *extra omnem* vivunt *aquam*, sed extra *conjunctam* tantùm. Siquidem in iis locis terreis, ubi degere dicuntur, plurimum contineri aquæ, nos cum experientiâ docemus. Committitur igitur fallacia ignorationis Elenchi.

OBJECTIO III.

Omnes pisces respirant: atqui pisces fossiles non respirant; Ergo non sunt pisces. Major est concessa. *Minorem* probant, quia nullâ viâ aër ingredi potest, ut pisces refrigeret.

SOLUTIO.

Resp. Neg. *Minorem*. Quod verò attinet ad

proba-

probationem, committitur fallacia *petitionis principii*, idq́; duplici modo. Primum enim petitio principii est aërē nulla via terrā ingredi posse. Nam innumeri ferè, *Kirchero* teste, *meatus* sunt *terræ*, *voragines*, *hiatus*, *canales*, & præter *ignea*, *aquea*, *aërea* ac *terrea receptacula*, *varii* reperiuntur *montes*, *campi ingentes*, *maria*, *insulæ*, *sylvæ ac prata submarina*, Mund. Subterran. lib. 3. 4. Quis vero negaret, aërem, subtilissimum illud corpus, unà cum humoribus per istos meatus atq́; hiatus terram ingredi & ad pisces fossiles pertransire posse? Nemo certè, nisi naturæ ignarus & mentis inops. Accedit, quod *talpas* etiam è terræ cavernis eliminare debeamus, si aëri per terræ poros transitum denegare velim9. Neque tantum *talpæ*, sed *mures* quoq́; *ranæ venenatæ*, *Spondylis*, *ascarides*, *lumbrici*, *cochleæ cavativæ* aliaq́; animalia plurima, intra terram agentia, hoc pacto rejicienda forent, quod tamen manifestissimæ experientiæ manifestissimè contrariatur. vid. *Agricola de Animant. subter. p. 70.* Deindè etiam *petitio principii* est, *aërem* esse *respirationis* materiā. Quicquid enim non est *frigidum*, id non est *respirationis* materia; atqui *aër* non est *frigidus*; Ergo. *Ma-*

go. *Major* constat, quia ob *refrigerationem respiratio* suscipitur. *Respirant* enim animalia ob *fervorem cordis*, qui temperandus est. Temperatur etiam admistura frigidæ rei, sicuti fervida aqua affusione frigidæ. Atq; hinc *Rondeletius*, vir in naturâ versatissimus, definit respirationem, quod sit *aëris circumfusi frigidi attractio & calidi expulsio*. Sic constat etiam *Minor*. Nam secundum *Peripateticos* aër est *calidus*, secundum nos neq; *calidus*, neq; *frigidus*, neq; *humidus*, neq; *siccus*, sed ad has qualitates omnes *indifferens* atq; *indeterminatus*. Interim pro objectionum solutione dist. (1) inter *aërem consideratum ratione essentiæ*, & *ratione existentiæ*: ratione *quidditatis*, & ratione *qualitatis*: ratione *sui*, & ratione *alterius corporis admisti*. Attrahimus quidem *aerem*, sed *impurum*, & cum *aliis corporibus*, *aqueis* sc. *concretum*. Solus vero *aer*, isq; *purus* attrahi in *respiratione* minimè potest. Nam juxta *Alberti Magni* effatum, *purus aer occidit*. Hinc etiam homines altissimos conscensuri montes, spongias aquis aut aceto tinctas ad movent naribus, ut per has crassior fiat aër, sive ut aquâ refrigerentur. (2) Dist. inter *materiam respirationis per se*, *& per accidens*

lens talem. Concedimus, *aërem* esse *materi-*
am respirationis, sed *per accidens*. De *materia*
verò *respirationis per se* quæstio est. Nam ne-
cesse est omne tale per aliud reduci ad ali-
quid per se tale, & illud est per se tale, per
quod alia sunt talia. Aër vero cum sit frigi-
dus per aliud, reducitur ad aliquid per se
frigidum, quod aqua est. (3) Dist. inter *aquam*
conjunctam, & in *vapores resolutam*: Non *il-*
lam, sed *hanc* intelligimus. Interim alia ani-
malia *crassiorem*, alia *tenuiorem respirationis*
postulant *materiam*.

OBJECTIO IV.

Quicquid est in loco violento, illud diu conser-
vari nequit: atqui pisces fossiles sunt in loco vio-
lento; Ergo. Major patet ex definitione loci.
Locus enim violentus est, ad quem locatum
detruditur & in quo conservari nequit. Mino-
rem probant, quia aqua tantùm est *locus* pi-
scium *naturalis*: ad hunc enim sua naturâ fe-
runtur & in eo conservantur. Rejicienda
igitur terra.

SOLUTIO.

Resp. Neg. *Minorem*. Negationis ratio-
nem suppeditavimus in ϖροσκ. dist. 9. 10.

OBJE-

OBJECTIO V.

Omnis piſcis natat: atqui foſſiles non natant; Ergo non ſunt piſces. Majorem probant ex definitione. *Piſcis* enim eſt *brutum natans*, *branchiis, pinnis, ſpinis ac veſica conſtans. Minorem* verò ex noſtra ſententiâ ſequi putant.

SOLUTIO.

Reſp. per Diſt. 6. ϖδγισκ. inter *actum natandi primum*, & *ſecundum*. De *hoc* ſi loquitur *Major*, falſa eſt. De *illo* vero ſi intelligitur, negamus *Minorem*; utut enim piſces *actu* non *natent*, *potentiam* tamen *natandi* nemo ipſis adimet.

CAPUT VI.
DE PISCIBUS VOLATILIBUS.

QUÆSTIO:
An dentur piſces volatiles?

A*uctores negantes problema. Affirmantes. Status Controverſiæ. Piſes ſaltantes. Requiſita avis. Piſces volatiles. Veſpertilio non eſt avis. Serpentes volantes.*

SECTIO

SECTIO I.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Auctorum dissensum apponens.

§. I.

NEgativam hujus problematis defendere tenentur ii, quibus omne volans avis est. Ita *Vossius* Theol. Gentil. lib. 3. c. 78. p. 1152. *ut volucris dicatur, satis est, quod volet.*

§. II. Affirmativam verò tenent *Arist.* lib. 4. Hist. An. c. 9. *Oppianus*, *Salvianus*, *Gillius* ap. *Aldrov*: de pisc. l. 2. c. 3. *Plin.* H. N. l. 9. c. 16. *Rondeletius* l. 4. de pisc. mar. c. 8. *Gesn.* de Aquat. *Cardan.* de Subtil. l. 10. p. 592. *Scaliger.* de Subtil. Ex. 223. s. 4. *Ambros. Paræus* l. 24. Oper. Chir. f. 736. *And. Thevetus* in Cosmogr. *Lerius* in Hist. Brasil. f. 315. *Schot.* Phys. Curios. l. 10. c. 26. p. 1359. *Jonstonus* in Thavmat. clas. 9. c. 12. *Kecker.* Syst. Phys. lib. V. c. . p. 578. His quoq; nos adstipulamur.

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Controversiæ statum exponens.

§. I.

DIst. inter *actum volandi primum & secundum.*

dum. Et *hunc* & *illum* piſcibus nonnullis attribuimus.

§. II. D. inter *actum volandi* conſideratum *excluſivè*, excluſo natandi exercitio; & *incluſivè*, quatenus illud ſimul infert. Non *illo*, ſed *hoc* modo *piſces* aliquos *volare*, aſſerimus, id eſt, non tantùm *volare*, ſed & *natare* eos docemus.

§. III. D. inter *ſaltatum*, & *volatum*: ſive inter *piſces exilientes ſ. ſaltantes*, & *volantes*. Non de illis, ſed his quærimus. Malè igitur *volantibus piſcibus Plin.* adjungit *Loliginem*, (quæ commutatâ principe litera dicitur qs. *voligo*, ut *Varro* cenſet *lib. IV. de LL.*) quando inquit: *Loligo etiam volitat, extra aquam ſe efferens* l. 9. c. 29. H. N. Neque enim tam *volat*, quam *exilire* extra aquas eſt contenta; qui & *Delphinis* mos, nec non *ſalmoni*, *exocæto*, *pectunculo*. Sic malè quoque agunt, qui ad *piſces volatiles* referunt Ἰρηκα, ut *Oppianus* vocat; qui *Latinis* dicitur *Accipiter*, *Plinio* eſt *milvus*. Hic enim nihil minus *volat*, immò ambigere poſſis, utrum extra aquas prorſus feratur; an in ſummo fluitet æquore.

§. IV. D. inter *requiſita avis conjunctim* & *disjunctim ſumta*. Non ex *his*, ſed *illis* ſubjectum

jectum judicandum est, an ad *aves* pertineat, nec ne? Sola enim *volatus* præsentia, uti non actutum arguit *avem*, ita nec absentia ejusdem *avem* esse negat. *Struthio-Camelus* tametsi nec *pennis* nec *alis* destitutus sit, *volare* tamen non solet. Interim tamen *avis* esse non desinit. Hâc ergo ratione, utcunque certo genere volatus quidam gaudeant *pisces*, *avium* tamen nondum meruêre nomen. Sic nec ex *natatione* exsulpendus illicò *piscis* est. Nam & *homini*, & *cani*, & *merulo*, & *ranæ*, & *pumici*, & *pomo natandi* competit *facultas*. Quis verò hæc *piscium gregi* accenseret?

§. V. D. inter *pisces alatos s. pinnatos*, & *pennatos*. Non *hos*, sed *illos* dari asserimus.

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Affirmativæ sententiæ fundamentum proponens.

§. I.

REpetimus hîc idem argumentum, quod suprà pro *piscium fossilium* existentiâ confirmandâ adduximus: *Quicquid testatur*

tur experientia, testetur & Physicus necessum est: atqui pisces dari volatiles, testatur experientia; Ergo. *Minorem Historici* pariter atq; *Physici* confirmant. Sic apud *Matthæum Merian.* in der West Indianischen Histor. *fol.* 315. *Joh. Ludov. Gottofred.* inquit: Von der Zeit an kamen sie mit gutem Wind disseits unter den dritten Grad der Æquinoctial Linien/ und trafen ein überaus grosse menge Meerschwein / Auraten und Bonitten / welche auch Albacoren genant / an / die seynd fliegende Fisch / erheben sich hauffenweiß / wie die Staaren / über sich / eines langen Spieß hoch / und wol 300. Schrit weit. Stiessen offt wieder den Mastbaum / daß sie herunter fielen und mit Händen leichtlich gefangen wurden. Ist ein Fisch fast wie ein Hering / doch etwas länger und runder / hat unter den Halß ein Federlein Flügel wie ein Fledermaus / so gantz seynd und ausgespannet. Sie seind nirgends sicher / dann seynd sie im Wasser / verfolgen sie die Albocaren und andere Raub Fische / fliegen sie aber in die höhe / so fangen sie die Meer-Vögel auff und fressen sie. Sie haben keine Schupen / und schmecken wie die

gemei

gemeinen Karpffen. Alios ejusdem generis pisces in mare propè insulam *S. Jacob* observavit idem p. 287. Et Behr im Tagebuch der neunjährigen OstIndianischen Reise p. 145. Umb selbige Gegend gab es viel fliegende Fische / so in der grösse eines Heringes / doch etwas länger und runder sind / mit Flügeln in gestalt der Fledermaüse / damit sie in die 100. oder 200. Schrit fortfliegen können / nemlich so lang / biß ihnen die Flügel trocken werden / als dann fallen sie wieder ins Meer / gestalt denn etliche in unser Schiff fielen / welche sich wegen ihrer trucknen Flügel nicht wieder erheben kunten. Wenn sie in der Lufft fliegen / werden sie den Habichten / Mewen und andern Raub und See Vögeln zur beute / im Meer aber den grossen Fischen / die ihnen unauffhörlichen nachfolgen / sie zufressen / also daß sie nirgend sicher sind. Nec aliud expertus est. *Andr. Thevetus*, qui in *Cosm.* scribit, sibi, cum novum navigando obiisset orbem, infinitos *pisces volantes*; sylvestribus incolis dictos *Bulambech*, qui ab aquis subsilientes, quinquaginta passus volando perrexerunt, sæpissimèq; ad vela malumque impingentes,

tes, esca nautarum evaserunt, apparuisse. Id quod etiam *αὐτοψίᾳ* suâ confirmat *Rondel. l. 4. de pisc. mar. c. 8. Vidi*, inquiens, *hirundines marinas* (pisces, hirundinum figuram volando repræsentantes) *ad lapidis jactum extra aquam in aere volitasse, & milvos, & mugilum genus alatum. Hujusce rei locupletes sunt testes, qui ad Herculis columnas navigant; quo in loco hirundines multæ volare videntur. Sed piscium alii aliis longius, celerius, & frequentius volant. Quibus enim priores pinnæ sunt longiores latioresque & valentiore membrana contextæ, ii meliùs volare possunt, longiusque volant.* Videantur plura ibidem, etiam de *exocæto* sed *saltante* veriùs, quam *volante*: adhæc *salmone* aquarum fontes petente: *pectunculis* item, & aliis. Cæterum facit huc etiam experientia *Scaligeri*, *Cardanum* castigantis Exerc. 223. Sect. 4. p. 703. *Volantium piscium cadavera à te visa, scribis. At vivi nobis conspecti sunt.* Atque hi fuerunt testes oculati. Audiantur nunc & alii.

§. II. *Ambrosius Paræus*, Galliarum Regis quondam primarius Medic. & Parisiens. Chirurgus *l. 24. Oper. Chirurg. f. 736.* refert: *In mari veneto, inter Venetias & Ravennam,*

duobus

duobus supra Clodium milliaribus, Ann. 1550. *captum esse piscem volantem, valde horribilem & monstrosum, quatuor pedes longum. Capite erat crassissimo, binis oculis non è regione positis, duabus auribus & ore duplici, rostro valdè carnoso & viridi. alis geminis, quinq; in gula foraminibus, Lampetra foraminum amulis, cauda ulnam longa, in cujus summa duæ videbantur aliæ exiguæ.* Vestigium rei in *Cardano* quoq; *de Subtil. l. 10. p. 592.* deprehendimus. Verba sunt: *Pisces etiam volantes ibi nascuntur: parvi sunt & alati, alas habent juxta branchias longas, ut ipsi pisces, palmo sc: amplius, quæ dum hument, piscem sustinent, cum siccantur, decidunt. Gregatim eunt, & cum Oratis inimicitia intercedit. Multi juxta Bennudam seu Garzam insulam inveniuntur.* Ubi tamen nota, verum non esse, eorum alas, quamdiu humescant, sustineri; ubi aruerint, decidere. Quis enim vidit hoc? Hirundo certè cum peracto pusillo volatu, rursus redditur aquæ: nemo novit, an ejus alæ siccatæ sint. Recentes ab aquâ cum sese exerunt, alarum motu aspergìnem quandam decuti videmus: quæ in illius fine transmissionis minor sit, ac tandem nulla. Cæterum non propter humoris

defectum cessat motus: sed quia vel lassatus est piscis: vel satis cœpit voluptatis: vel se satis procul ab hoste, quem fugit, esse putat.

§. III. Nec aliter jam olim docuëre Veteres: *Oppianus*, *Ælianus*, *l*. 12. *c*. 59. Vid. *Aristoteles*, *Plinius*, *Aldrov. de pisc. l. 2. c. 3. p. 137.*

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Argumentum contrarium componens.

OBJECTIO.

Quicquid volat, avis est; atqui pisces volant; Ergo pisces aves sunt. Major ex definitione *avis* patet. *Avis enim est brutum volans sanguineum, rostratum & pennatum. Minor* est nostra.

SOLUTIO.

Resp. (1) *indirectè* per *instantiam*: atqui *Vespertilio* etiam volat; Ergò est avis. Nequaquam. Utcunque id admittant *Plin.* l. 10. *c.* 62. *Franzius Hist. An. part. 2. c. 20. p. 570. &* l. *Vossius* l. *c.* l. 3. *c.* 78. *p.* 1152. Accipe, si voles, argumenta: Vespertilio est animal viviparum; at aves ova pariunt. Vespertilio pinnis &

nis & pilis; aves pennis gaudent. Vespertilio est quadrupes; aves bipedes. Vespertilio mammas habet, lac, & pullis idem præbet, neque dentibus caret, & asininis auribus, imò mintrat quoque velut mures alii. At nulli avium id competit. E. Deinde *serpentes* etiam reperiuntnr, qui *volent*, *Dracones* puta, teste experientiâ, quâ de vid. *Merian*. l. c. *part.* 2. *f.* 221. *Breuning*. *f*. 166. *c*. 26. Jn d' Orientalischen Reiß / *Hieron. Benzo in novi* orbis historiis & navigatione Gallorum in Floridam c. 4. p. 488. *Kirchmajerus*, in Dissert. Sperl. Zoolog. annexis. Quis verò *serpentes* Illos pro *avibus* habebit? Adde quod & *muscæ* volent, & *papiliones*, & *culices* & alia ejus generis innumera, quæ si omnia *avibus* annumeraveris, diversissimas *insectorum* & *avium* species turpissimè commiscebis. vid. supra πρόδαον. Dist. 4. (2) *directè* per *limitationem Majoris* ex parte *subjecti*. Quicquid volat, sc. *ita ut cætera sint paria*, illud est avis. Sic limitatâ *Majore*, negamus *Minorem*. Cæteris enim avium requisitis pisces destituuntur.

CAPUT VII.

DE CONVENTU SAGARUM AD SUA SABBATA,

QVÆSTIO:

An Sagæ ad ſolemnia ſua conventicula, quæ Sabbata vocant, tranſportari queant, & non-nunquam quoque realiter transferantur?

AVctores negantes. affirmantes. Tranſportationis principium, medium & modus. Vnguentum Sagarum. Verba. Ceremoniæ conventus. Non ſolæ animæ, ſed ſagæ totæ transferuntur. Somnia diabo- *lica. Potentia diaboli tranſportandi ſagas probatur. Probatur etiam actualitas exemplis. Unanimis Sagarum confeßio. Alii, præter ſagas, translati.* Reſponde- *tur ad objectiones.*

SECTIO I.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Auctorum ſententias recenſens.

§. I.

NEgant quæſtionem *Alciatus* lib. 8. Parerg. cap. 22. *Ulricus Molitor* de Python.

Mulier.

Mulier. c. 8. *Franciscus Samuel.* Minoritâ, integro libro, *Auctor* fortal. fid. *Ponzinibius* per tot. ferè libr. *Leonhard Vairus* lib. 2. de fascino cap. 13. *Wierus* lib. 3. de præstig. Dæmon. cap. 11. *Godelmannus*, *Agrippa*, *Martinus de Arles*, *Duarenus*, *Ærodius*, *Michaël Montanus*, *Joannes Salisburgensis* lib. 2. Polycrat. c. 17. *Philippus Camerar.* cap. 72. hor. subcis. *Joh. Fichardus.* JCtus, qui transvectionem istam cum omnibus suis solemnitatibus vocat lauter Traum / Gespänst / Triegerey / Unglaublich / unmögliche Ding / T. 2. Consil. III. n. 3.

§. II. Affirmant *Remigius* lib. 1. Dæmonolatr. cap. 14. 24. 29. *Penna* in Direct. inquisit. p. 2. comment. 68. *Turrecrema* supr. Grilland. l. 2. de sortileg. qv. 7. n. 8. *Auctor* Mallei passim, *Basinus* de art. mag. prop. 9. *Petr. Domianus* Epist. 4. c. 17. *Bart. Spinaeus* contra Ponzinib. *Alfonsus à Castro* lib. 1. de just. hæret. punit. c. 16. *Abulensis* in cap. 4. Matth. q. 47. *Joan. Dodo* in Apolog. contra Fr. Samuelem, *Ananias* l. 4. de Nat. Dæmon. *Silvester* in verb. hæres. n. 3. *Anglez* in 2. qv. unicâ de art. mag. art. 4. diffic. 5. *Guilb. Parisiensis* p. ult. de univers. c. 23. *Bald. Ronsseus*

epist.

epist. medic. 50. *Martin. Delrio* disquisit. Mag. Tom. 1. lib. 2. qv. 16. pag. 345. seq. *Petr. Binsfeld.* d. Oper. Conclus. 11. *Beetz.* de 4. Victor. Cajetan. 2. 2. q. 95. a. 3. *Antonius de Torquemada* Dial. 3. Hexaem. *D. Thomas*, *Joh. Major. Albert. Tostatus*, *Toletus*, *Simanca*, *Navar. Medices*, *Farinac. Dambauder. Spreger. Jaquer: Nider. Bern. Comensis*, *Cuman. Pegna*, *Cæsalp.* ap. *Schottum* Phys. Curios. l. 1. c. 23. p. 91. qui & ipse ejusdem est sententiæ, *Torreblanca* lib. 2. q. 36. *Svarez.* de Relig. l. 2. c. 16. *D. Jacob* Wecker in Hexenbüchlein p. 25. *B. D. Balduinus* in Cas. Consc. l. 3. cap. 5. cas. 7. §. 737. *D.* König in Hept. Cas. Consc. Misc. cas. 2. p. 39. *Libavius* part. 1. sing. p. 322. *D. Danhavver.* Exer. Ethico-Pol. V. p. 86. Quibus etiam nostrum adjicimus calculum, existimantes, nonnunquam transportationem illam Sagarum veram quidem esse, sed sæpius phantasticam.

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Statum Controversiæ sistens.

§. I.

OMissâ *nominum* evolutione, quæ aliàs quidem

quidem multum, huic verò noſtro ſcopo parum inſervire videtur, ad *rem* ipſam pergimus, & in ipſo ſtatim limine *diſtinguimus* inter *tranſportationis principium, medium & modum. Principium* eſt vel *peincipale* vel *minùs principale. Principale* eſt *Diabolus* qui tranſvehit ſua mancipia ad nocturna illa comitia. Hunc autem non duriori *Dæmonis* nomine appellant, ſed *Magiſterulum*, aliæ *Magiſtrum Martinettum*, ſive *Martinettura*, mollioribus verbis ſalutant. *Minùs principale* principium, ſ. *impulſivum*, variæ ſunt *incantationes*, *circuli & figuræ*, *applicatio manus ad crines*, *pilei* aut *pallii poſitura*, *unctio*, *verba*, *certa ſigna*, aliæq; id genus ceremoniæ quamplurimæ. De *unguento* obſervandum hoc eſt, quod illud conficiatur ex *adipe felis*, *canis*, aut *aſini*, vel *lupi*, ſed potiſſimum ex *infantis eceiſi pinguedine*. Hinc Diabolus maximè *infantibus* inſidiatur, immò eas etiam *nonnunquam* permiſſu Dei *ſuffuratur*, poſteà miniſtris ſuis excoquendos comburendosve ad magicos concedit uſus. Utuntur autem iſtoc ſuo *unguento*, partim *baculos*, partim *crura* aliaque corporis membra *illinendo*, idque tum, quandò corpora de locô in locum *realiter* transportari ſatagunt.

Aliàs

Aliàs enim, quando conventibus per *somnium* duntaxat interesse volunt, tum in sinistrum se collocant latus; aut quando malunt *vigilantes*, quæcunque in concilio fiunt, cernere, tum, operâ dæmonis, ex ore *vaporem* quendam crassum evomunt in quo gestorum imagines, ut in speculo, intuentur. Neque tamen putandum est, *unguentum* illud ad *realem* corporum *translationem simpliciter* esse necessarium. Nam aliquoties sine ejusdem usu sagas aliò *verè* esse devectas constat. (vid. infrà §. V. *κατασκ.*) Hinc *Auctor* Mirab. Myster. c. 3. p. 21. ex *Bodino*: Die Hexen/ inquit, in Franckreich glauben / wenn sie auff einem Besen sitzen / der zwischen ihren Beinen ist / und sprechen etliche Wort/ daß sie weggeführet werden ohne schmierē: dargegen die in Italia haben allezeit einen Bock für der Pforten/ der auffwartet / umb sie hinweg zu führen. Interim adhibet *unctionem* illam dæmon, *tùm* quia plerumque *timidiores* sunt sagæ, ut audeant; tum quia *teneriores* sunt ad *horribilem* illum contactum in assumto corpore ferendum. Unguento autem eo *sensus obstupefacit*, omnemque animo *timorem excutit*. Cæterum ad verba

quod

quod attinet, etiam hæc pro varietate modi variant. Nam in *phantasticâ repræsentatione*, in *nomine omnium diabolorum* obdormiscere dicuntur; in *reali* verò *transmigratione* sequenti uti ajunt voto: Oben naus und nirgend an. Vel etiam: Antesser kom/führe uns nach Blokula! Illa formula familiaris est *Sagis Germaniæ*; posterior veneficis *Svecis*, de quibus superiori anno sequentia ad nos sunt relata: Die aus der Landschafft Elffdalen sagen: das man in eine Grube gehe/welche nicht weit von einem Kreutzwege lieget/und daß sie mit einem Kleide auff dem Haupte rundumb springen/darzu auch auff dem Kreutzwege lauffen/und dem Teuffel zu 3. mahlen ruffen/im ersten mahl sachte/im andern härter/zum drittenmahl überlaut/mit diesen Worten: Antesser kom/führe uns nach Blokula. Als dann kompt er in unterschiedlichen Kleidungen zum vorscheine/meistentheils aber in einem grauen Rocke/rothen Hosen/und blawen Strümpffen/mit einem rothen Barte/hohen Hute/mit vielen bunten Bändern rund ümb/auch vielen langen Bändern ümb die Hosen. Da fragt

fragt er dann / ob sie ihm mit Leib und Seel dienen wollen? Wann sie hiermit zufrieden sind / so setzet er sie auff Thiere / welche er zur Hand hat / und führet sie damit über Kirchen und grosse Morasten / endlich kommen sie in eine grosse Weyde / worinnen Blokula lieget. Unterwegens müssen sie aus den Kirchen von den Altaren und auch von den Glocken einig Geschrabels mit den Zähnen abgenagt / mit sich nehmen / wann sie nun von dem Teuffel gelehret werden / umb selbst durch die Lufft zu fahren / so gibt er ihnen ein Horn mit einer Salben / sich damit zu schmieren / auch einen Sattel mit einem Hammer und Nagel / den Sattel damit zu befestigen / als dann ruffen sie den Teuffel an / und fahren mit ihnen hinweg. Hæc de *translationis principio*, quod hic in controversiam non venit.

§. II. *Medium* iterum non unius est generis. Aliquandò enim est *hircus*, vel *taurus*, aliudve *animal*, non *verum*, sed *phantasticum*, h. e. ex variis vaporibus & exhalationibus formatum, & à Diabolo gubernatum. Aliquandò *homo truculentus*, sed vestibus regiis ac egregiis ornatus, qui sagas ternas quaternasq;

ternasq; simul asportat. Aliquando *arundo*, *colus*, nec non *scopa*, aut *furcæ*, quibus post factam incantationem elevatæ à Dæmone avehuntur. Sed nec de eo quæstio nobis est; de modo tantùm impræsentiarum solliciti sumus.

§. III. *Modus* autem *duplex* est, alius per *imaginarium*, alius per *verum* conficitur *actum*. *Imaginarius* est, quando beneficio dæmonis per *imaginationem* s. *phantasiam* sagis repræsentantur, quæcunque in conventiculo aguntur, etsi illæ domi interim alto somno sepultæ consideant. *Verus* est, quandò *verè* in altum tolluntur ad Sabbata sua celebranda. Atque de hoc *posteriori*, non *priori* jam jam disceptatur. Nam *phantasticus* actus, à nemine, adversariorum etiam, in dubium vocatur, quin imò res tota à multis per hunc solum explicatur.

§: IV. Cæterùm quod ad *ceremonias* & alias illius conventus *circumstantias* attinet, eas prolixè describit *Martinus Delrio* l. a. p. 353. & ex eo *Schottus* l. d. p. 102. unde nos sequentia depromemus. Primùm omnium sagis, ad comitia translatis, conspiciendum se præbet Cacodæmon, conventùs Præses,

ses, in solio sedens, formâ terrificâ, ut plurimum hirci vel canis. Ad hunc obverso tergô accedunt, majestatem ipsius veneraturi. Adorant autem eum non genu curvato, sed cruribus in altum jactis, nec capite in anteriorem partem prono, sed resupino adeò ut mentum cœlum respiciat. Tum candelis piccis oblatis vel umbilico infantuli, ad signū homagii, eum in posterioribus osculantur. Peractâ sic adoratione sacrificia fieri solent, quibus interdum liberos suos Diabolo offerunt & occidunt. Interdum hostiam sacram, ex ore extractam & asservatam, dæmoniq; oblatam, coram eo pede conculcant. Post hæc assidere incipiunt mensis, facie vel apertâ vel larvatâ. Solent autem diversæ esse mensæ, cibis non nunquā delicatissimis, non nunquam valdè insipidis & insulsis onustæ, quibus pro dignitate aut opibus singuli tractantur convivæ. Aliquandò su⁹ cuiq; dæmon assidet, aliquandò malefici unâ ex parte & suus cuique dæmon ex adverso. Nec mensæ sua deest benedictio & gratiarum actio, constans verbis blasphemis, quibus ipsum Beelzebub & creatorem, & datorem, & conservatorem omnium profitentur. Absoluto convivio

vivio, choreas cum Martinellis ſuis ducunt, ad tympanum fiſtulamve ſedentis alicujus in bifidâ arbore, dorſis invicem obverſis & in orbem junctis manibus, jactantes capita more fanaticorum, & cantantes feſcenninos in honorem dæmonis obſcæniſſimos. Delaſſatæ jam cum amaſiis dæmonibus fœdiſſimè commiſcentur, non *phantaſticè* tantùm, ſed *realiter* etiam ſæpè, ex quo tamen congreſſu verus homo nunquam eſt oriundus. Deniq; inſtante termino, ſua unaquæq; narrat ab ultimo conventu facinora; quæ quo graviora, eò collaudantur uberius; ſi nulla, vel non ſatis atrocia, verberantur à dæmone vel à malefico quodam ſeniore. Atq; ſic ſuas domos repetunt, acceptis prius pulveribus vel venenis aliis, ſæpè etiam indicto cuique nocendi penſo, & pronunciato pſeudodei decreto: ULCISCIMINI VOS, ALIOQUIN MORIEMINI: Similia ferè, ſi non atrociora ſunt, quæ ex Sveciâ accepimus: Sie (die Hexen im Dorffe Mohra und andern ümbliegenden Plätzen) bekennen alleſampt / das Blokula in einer ſchönen Weyden / die groß / und derer Ende nicht abzuſehen / gelegen ſey. Der verſamlungs

Platz hat vor dem Hause eine schöne gemahlete Pforte/vor dieser Pforten liegt bey dem Hause eine kleine verschlossene Weyde/worin die Thiere/ darauff sie reiten/gehen. Die Menschen aber/die zu solcher Reise gebraucht werden/stehen in dem Hause bey der Thüre/woselbst sie dann so lange gegen die Maur stehende schlaffen. In dem Saale des Hauses stehet eine lange Taffel/woran sich die Zauberinnen setzen. Bey dem Saale ist eine Kammer/worinnen schöne auffgeziehrte Betten stehen. Das erste/daß sie in Blokula thun müssen/ist/daß sie alles müssen versagen/und sich mit Leib und Seel an dem Teuffel ergeben/und solches mit einem Eyde bekräfftigen/ihm (den sie Loeyta nennen) zu dienen. Worauff sie sich dann selbst in einen Finger schneiden/und mit ihrem Blut sich in sein Buch verzeichnen. Er taufft sie auch durch seinen Priester/welchen die Zauberinnen dazu bestellet haben/und befestigen solche Tauffe mit vielen greulichen Eyden und Beschwerungen. Hierauff gibt er ihnen einen Beutel/worinnen das genagte von den Glocken/und woran ein

Stein

Stein gebunden ist/welchen sie in das Wasser werffen / und dabey diese grausame Worte sagen: Gleich wie dieses Geschrapel nimmermehr zu den Glocken kommen wird / also komme auch meine Seele nimmermehr in den Himmel / zu welchen Reden noch andere gräuliche GOttesläste-rungen und Verfluchungen gefügt werden. Das Schneid-Zeichen in die Finger befindet man nicht an allen. Ein Mägdlein aber / welches zwerch über den Finger geschnitten war / bekante / daß der Teuffel gantz eifferig den Finger ihr also auffgeschnitten / weil sie solchen nicht hätte ausstrecken wollen. Nach diesem gehen sie an die Taffel sitzen / und welche dem Teuffel am liebsten sind / sitzen nahe bey ihm / die Kinder aber müssen bey der Thür stehen/ wo er ihnen dann essen und trincken gibt. Die Speisen sind Kohlsuppen mit Speck/ Haberbrey / Butter / Brod / Milch und Käß/welche nach ihrem Aussagen bißweilē gut / bißweilen böß schmecken sollen. Nach der Mahlzeit wird getantzt / worunter greulich geflucht wird/ worauff sie sich auch untereinander tapffer zerschlagen. Die

von Elffdalen bekanten / daß der Teuffel selbst für ihnen auff der Harpffen spielete / darauff mit denen / die er meist beliebete / in eine Kammer gieng / und daselbst fleischlicher Wollust pflegte / welches sie auch bekandtē / daß sie mit ihm also zuthun gehabt hetten. Sie sagten auch / daß der Teuffel Söhne und Töchter hätte / die er zusammen verheurathete / und daß sie aus Beywohnung nichts als Kröten und kleine Schlangen an stat der Kinder zeugeten. Er sol auch bißweilen kranck sein / und sich von denē Zauberinnen gleichsam curiren lassen. Einmahl sol er sich auch tod bezeigt / uñ in Blokula grosse Traurigkeit darüber verursachet / bald aber sich wieder lebendig erwiesen haben. Wan er wil frölich seyn / sol er sie alle auff Spiessen ümbreiten lassen / hernach aber mit den Spiessen die Zauberinnen blau und braun schlagen / uñ darüber sein Gelächter haben. Er saget ihnen auch vor / daß der Jüngste Tag bald kommen würde / deswegen er ihnen ein steinern Hauß bawete / worinnen er sie mit grosser Lust und Freude bewahren wolte / wann sie aber in der besten Arbeit wehren / so viel

so viel ein Stück von der Maur vor ihre Füsse / wovon etliche Zauberinnen gemeiniglich beschädigt werden / dessen er dann lachte / sie aber auch bald wieder curirte.

§. V. Porro *distingv.* quoq; est hic inter *translationem solius animæ*, & *totius corporis*, ex materiâ & formâ, constantis. Nos dum *conventum* Sagarum *realem* quandoq; asserimus, *sagas totas* & *quà animam* & *quâ corpus* in alium transferri locum statuimus, rejectâ interim illâ *Bodinianâ* fabellâ, quâ *animæ* ipsarum, vi Satanæ, *extra corpora* abripi, & ad nocturna conventicula portari finguntur. Hæc enim *animarum ereptio* dæmoni impossibilis omninò est. Nam quæcunq; actio infert *veram è mortuis resuscitationem*, illa dæmoni est *impossibilis:* Atqui *animarum è corpore sagarum ereptio*, earundemque posteà cum eodem *redunitio*, infert *veram è mortuis resuscitationem*; Ergò. *Major* probatur ex inæqualitate efficientis & effectus. *Diabolus* enim causa est *finita*, *resuscitatio* verò est effectus *infinitus*. *Minor* ex effectus illius quidditate patet. Nam *animæ ereptio* infert *mortem* & *redunitio vitam*, & consequenter *è mortuis resuscitationem*.

§. VI. Neque tamen semper, sed non nunquam tantùm *realem* illam sagarum transmigrationem contingere censemus. Haud enim ignoramus, sagas de conventibus & tripudiis dæmoniacis aliquandò splendidissimè nugatas esse, cùm tamen domi in suis jacuerint cubiculis somno profundo obrutæ. Exemplum memorabile ex *Pauli Grillandi* Tr. de Sortilegio adducit D. *Carpzovius* Prax. Crimin. part. 1. qv. 48. n. 27. de sagâ quâ[illegible]m, quæ cùm unà cum aliis carceri inclu[illegible]etur, quæstionibus exponeretur, confess[illegible]rat, se eâ ipsâ nocte ac horâ interfuisse lusi[illegible]s diabolicis, quâ maritus juramento præ[illegible] asserebat, se eam tum in lecto diligen[illegible] observasse, & non semel studiosè tetigisse. *Lutherus* quoque Tom. 1. Jen. fol. 126. mem[illegible]t historiæ, ex *Joh. Keisersbergio*, quod ve[illegible] aliqua, ut prædicatorem argueret mendacii, qui talia docuerat esse falsa, seriò eum vocaverit, & adspectante illo sese inunxerit, sedensque in furcâ jamque volens devehi, statim obdormiverit, & quibusdam gestibus hinc inde se moverit, donec de scamno ceciderit, & v[illegible]nus in caput acceperit. Vid. *Anton. de Torquem.* l. 1. p. 349. En astu;

astutias & præstigias Diaboli μυεροπχνίτε! Recte igitur *Philippus* lib. de Anim. *Quartum genus Somniorum est Diabolicum, ut cùm veneficæ videntur sibi interesse conviviis ac ludis, cùm sæpè compertum sit, eas nusquam abiisse, sed dormientes, gestu & clamore somnia conviviorum & saltationum significasse.*

§. VII. Denique non sine causâ inscripsimus titulum dissertationis nostræ de CONVENTU SAGARUM AD SUA SABBATA, ut scil. constaret, de quonam nobis sermo sit. Nam aliæ etiam eas, præcipuè in viciniâ cohabitantes, sæpius instituere conventicula, nemo futurus erit, qui negabit. Quamobrem distingv. inter *conventum qualemcunq;* & *solemnem*. Non *ille*, sed *hic* à nobis intelligitur.

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Sententiam veram adstruens.

§. I.

DUo sunt, quorum confirmatio hic tradenda: scil. *transportationis Sagarum possibilitas*, ejusdemque *actualitas*. *Possibilitatem*

rem hoc argumento ſtabilimus: *Quicquid non excedit vires Diaboli, illud ab eo fieri poſſe, probabile eſt: Atqui corporalis Sagarum ad conventicula ſua ſabbatica translatio non excedit vires diaboli*; Ergò. *Minorem* probat (a) *Thomas* part. 1. Summ. qv. 100. art. 3. ex eo, quòd *Spiritibus completis* omnia *corporalia* obediant quoad *motum localem*. Diabolus verò eſt talis; E. Deinde (b) quoque ex *paritate angelorum bonorum & malorum*, eandem nos confirmare poſſumus. Nam ſi *angeli boni* eâ præditi ſunt virtute, ut *corpora de loco in locum transferre* poſſint, nil impedit, quo minus & *diabolis* ea competat *poteſtas in Sagarum corpora tranſportanda*: Atqui verum eſt prius; Ergò. *Major* conſtat, quia diaboli & angeli boni non differunt ratione *eſſentiæ*, ſed ratione *accidentalis bonitatis* atq; *malitiæ*. Quicunque verò in *eſſentia* conveniunt, illi etiam in *naturali potentiâ*, eſſentiam conſequente, conveniunt. Minor vel ex ſolo *Habacuci* exemplo patet, qui capillo in Babilonem ad Danielem translatus eſt ab angelo, Dan. 14, 35.

§. II. Sed oggannit *Ulricus Molitor* l. c. malè nos ab *angelis* ad *Dæmones* argumentari, eò, quod

eò, quod *angelorum* hac in re longè *major* sit *vis* & *robur*, quàm *dæmonum*. Verùm Resp. mera verba audimus. at quod pectus veri cupidum exsaturet, non invenimus. Dicit longè *majorem Angelorum* esse *virtutem*, quàm *dæmonum*; at unde hoc ipsi constat? *Probare* prius id debuisset, si effugere studuisset *fallaciam*, quam Aristoteles vocat αἰτεῖσθαι τὸ ἐν ἀρχῇ. Præthereà communis Theologorum Schola docet, *retinuisse Diabolos*, quæ *naturæ* erant dotes, *amisisse*, quæ *gratiæ*. Sed estne, quæso, *potestas movendi corpora*, donum *gratiæ*? Minimè. Accedit, quod ipso actu *dæmones* elevarint corpora: vel mille testium probante αὐτοψίᾳ. Ubi verò *actus*, ibi non potest quoque non esse *potentia*. Sed satis de *possibilitate*.

§. III. Pergimus nunc ad ipsius *translationis actualitatem*, quæ probari potest (1) ab *experientiæ testificatione*. Quicquid *experientia testificatur, illud temerè negatur*: Atqui *sagas nonnunquam verè ad conventicula sua transportari, experientia testificatur*; Ergò. *Major* in aperto est. *Minor* ex sequentibus patet. Mulier quædam Sabinensis, ait *Delrio* l. c. ex *Grillando* l. 2. de Sort. q. 2. & *Castro*

l. 1. de

l. 1. de just. hæret. pun. c. 16. hanc profitebatur Diabolicam artem. De quâ cùm Maritus suspicionem haberet, interrogavit eam sæpiùs, quæ semper negavit. Maritus verò in suspicione sua persistens, anxiè veritatem perquirebat: qui adeò astutè se gessit, quod vidit illam quâdam nocte se unguento quodam ungentem: quâ unctione peractâ, vidit illam celerrimè quasi avem recedentem, & ex superiore domus solario ad inferiora descedentem. Illam Maritus sequens, ut videret, quo tenderet, amplius eam non vidit, & accedens ad portam domus, invenit eam clausam. Quæ res magnam ei præbuit admirationem. Die verò sequenti iterum Maritus Uxorem interrogat, quod anxiè scire cupiebat; & illa constanter, ut antè, se nescire dixit. Maritus verò, ut amplius negare mulier non posset, apertè ei dicit omnia, quæ nocte præterita illam fecisse viderat. Deinde fustibus illam percutit graviter & duriora minatur verbera; nisi veritatem dixerit: quam si apertè exposuerit, veniam se illi daturum promittit. Mulier igitur, se jam celare non posse intelligens, veritatem aperuit, & veniam à marito petiit: quam

maritus

maritus hac conditione indulsit, ut illũ ad tales congregationes adduceret. Illa verò ut veniam impetraret, facilè petita promisit, & promissum ex licentia Satanæ implevit. Adductus igitur ille ad locum, ubi ludi fiebant, ludum & choreas, & cætera omnia contemplatus est; & tandem ad mensam cum reliquis, ut vesceretur sedens, cum cibos insipidos judicaret, petit sibi dari sal, quod in mensâ deerat: & quamvis iterum atque iterum petiisset, nunquam illi dabatur. Tandem cum post importunam petitionem prolixamque expectationem sal illi daretur, dixit: *Lodato sia Iddio, che pur è venuto questo sale*: Nunc laudetur Deus, quoniam jam venit sal. Quibus verbis prolatis, Domones, quia laudes Dei audire refugiunt, statim recesserunt, & reliqui omnes disparuerunt, luminaribusque extinctis mansit ille solus nudus, quousque mane facto, vidit quosdam pastores; quos interrogavit, quænam esset illa patria, in quâ erat: illi verò responderunt, esse agrum Beneventanum in regno Neapolitano. Qui locus distabat à patriâ Viri per centum milliaria. Ob quam causam, licet dives esset, coactus fuit per viam-

mendicare, ut ad domum ſuam redire poſſet. Ad quam poſtquam pervenit, ſtatim Uxorem ſuam ob lamiæ crimen accuſavit, & totam rem geſtam, ut narrata eſt, coram judicibus expoſuit. Qui rem totam plenè, ut oportebat, examinantes, vera eſſe omnia, quæ diximus, invenerunt. Quæ etiam mulieris confeſſione confirmata ſunt. Hæc *Delrio.*

§. IV. (2) *ex corporali ſagarum ad alia remotiſſima loca translatione.* Quicunq; *minoris voluptatis ergo in remotiſſima verè transferuntur loca, illos magis probabile eſt transportari quoque ad ſua Sabbata, longè majoribus gaudiis referta:* Atqui de ſagis ac magis verùm prius; Ergò, & poſterius. *Majoris*-fundamentum ſuppeditat Maxima illa Logica: *Quod affirmatur de Minore, multò magis affirmandum eſt de Majore.* Sive, ut alii efferunt: *Si id ineſt, quod minus veroſimile eſt, etiam illud ineſt, quod magis veroſimile eſt. Minor* nota eſt ex experientiâ, quæ teſtatur, Sagas in diſſitis ſæpius convenire locis, ut ibi ſua conferant conſilia, aliisque noceant, & voluptatibus fruantur. Quæ tamen omnia nihil illæ æſtimant ad ſolemnia illa conventi-

cula

cula in monte *Bructerorum*, & alibi. Majoris evidentiæ ergo unum alterumve exemplum adſcribemus. Erat, inquit *Balduinus Ronſſeus* Epiſt. medic. 50. in pago Ooſtbrouk non procul à Trajecto, mulier vidua, cui Servus convixerat ad obeunda, ut res poſtulabat, munia domeſtica: Is cùm jam ſæpius, ut ſolent eſſe curioſuli ſervi, per tranſennam animadvertiſſet, heram nocte intempeſtâ, ſtatim ac quieti ſe tradidiſſent domeſtici, quotidiè in ſtabulum, ad certum præfixumque locum venire, atq; exporrectis manibus præſepi contiguum fœnile apprehendere, admiratur tandem ille, quidnam hoc negotii eſſet, ſtatuit & ipſe inſciâ herâ idem ſemel experiri, atq; eandem pertentare aleam. Igitur hera ex conſvetudine ad ſolita veniente, atq; ſicuti videbatur digreſſa, ſubſequitur & ipſe, locum contemplatur, atq; exemplo heræ fœnile complectitur: ibi ille ex tempore in aëra raptus defertur in oppidum Wick, in abditum & ſubterraneum ſpecum, ubi cœtum maleficarum de maleficiis conferentem inter ſeſe, reperit. Hera cum ſuis inopinam famuli præſentiam admirata, rogat, quo aſtu, aut quâ tandem ratione momento tem-

to temporis illuc appulisset. Respondit ille ordine, ut res transacta esset: Tum illa indignari primum atque excandescere cœpit, verita, ne nocturni atque clandestini isti conventus hâc ratione tandem eliminarentur: Cum consortibus igitur deliberandum censuit, quid in ambiguo hoc negotio faciendum svadeant. Convenit tandem inter eas, ut amicè exciperetur, silentium stipularetur, atque arcana hæc, quæ illi præter meritum atq; opinionem videre contigisset, nulli communicaturum se aut revelaturum sanctè dejeraret. Ille interim quidvis non pollicetur, abblanditur, & ut mitius agant, simulat se omnibus votis hoc unum expetere, ut cum illarum gratia liceat posthac sortilegarum interesse collegio. Interim dum consultatur, labitur hora, & jam abeundi tempus instat. In dubium iterum, instigante horâ, jam vertitur, remittendusne domum sit totius cætûs periculo, an bono publico enecandus. Communi tandem omnium consensu mitior placuit sententia, quæ juramento addictum domum deferendum decerneret. Suscipit eam provinciam hera, atque fide data in humeros, receptum do-

mum

mum delaturum pollicetur. Accinguntur operi, atque euro citius per aëra feruntur, ſed ecce menſis jam bonam partem itineris, conſpicuum ſeſe dedit lacus arundineto obſitus. Ibi malefica illa anus occaſionem nacta, verita, ne juvenis pœnitentiâ ductus, quod furialibus iſtis feriis (quemadmodum ſimulabat) initiatus eſſet, viſa tandem eliminaret, provolans à ſe disjecit adoleſcentem ſperans, ut ſuſpicio eſt, eundem partim caſus violentiâ enectum, partim lacus i[illegible]ſius altitudine abſorptum iri. Verùm ut eſt [illegible]eus miſericors, prorſus non volens mortem [illegible]ccatoris, ſed ut convertatur & vivat; v[illegible] næ illius menti metas conſtituit, neque [illegible]ſus eſt, juvenem inſontem ſubmergi, ſ[illegible] aliquando æquiore conditione permiſi[illegible] in hunc usque diem vita protraheretur [illegible] fortè fortuna in arundinem decidens [illegible]em plagam ex caſu non accepit, viol[illegible] impetuque caſus per arundinetum quodammodo refractis. Interim miſer ille, qui ſolius linguæ miniſterio jam utebatur, dum illuceſceret, mille diſtorquebatur cruciatibus ac ſuſpiria trahens, tantiſper ingemiſcebat, dum prætereunt[illegible] inſ[illegible]lita lamentatio-

ne attoniti, facta indagine compererunt, hominem prorsus elumbem, & cui utraque excidisset coxa. Rogant unde sit, quomodo eò calamitatis pervenerit? Narrat ille ordine singula, defertur tandem curru Ultrajectum. Ibi nob. Vir. Joan. Culemberg. Urb. Præt. rei novitate quodammodò perculsus, admirabundus singula perquirit, atq; indagine factâ fascinatricem heram comprehendi jubet vinculisque constringi. Illa simulac in manus Præfecti venisset, nihil negare, omnia fateri. Hactenus *Ronsseus*. Vid. *Spinæus* quæst. de Strigil. cap. 17. seq.

§. V. (3) *Ex unanimi Sagarum confessione.* Quicquid *unanimiter omnes confitentur sagæ, illud probabile est verè accidisse*: Atqui *corporalem nonnunquam ad sua sabbata translationem, unanimiter omnes confitentur sagæ*; Ergo. *Major* suo gaudet robore. Quæ enim *vana* sunt, quæ *delusoria*, quæ *phantastica*, de iis certè tam perpetim *una* & *consentiens omnium contestatio* esse nequit. Neque *accurata* etiam inter *disjunctissimas locis* & *temporibus*, *ætate* ac *moribus*, sagas facilè reperiretur *consensio*, si *phantastica* tantùm essent ista conventicula. Cùm *peculiaris* cuiq; sit *animi actio diver-*

sa

sagę imaginatio, nec *cerebri* aut *phantasiæ omnium eadem dispositio*, quæ dæmoni tamen ad hujusmodi *imagines* necessaria foret. Quid? quod constet minimè, quâ ratione *mendacii* tanta constet *conformitas*. *Major* itaque propositio firmô nixa talo. Deinde quoque *Minor* vacillationis omnis est expers. Experientia enim ad satiem nobis demonstrat exempla sagarum, ὁμοθυμαδὸν *realem corporum suorum transportationem* confitentium, nec in minutissimis circumstantiis discrepantium. Ex multis ac ferè innumeris unum tantùm adducam, quod superiori anno in *Sveciâ* contigisse, testes fide dignissimi confirmarunt. Verba hæc sunt: Die vom Dorffe Mohra verklärten meist dasselbige: sie würden auch gefragt: Ob sie dessen/ daß sie persönlich und wachend weggeführet würden/ vergewissert wären? welches sie alles mit ja beantworteten/ sagende dabey/ daß der Teuffel bißweilen etwas in ihren Platz legte/ welches ein volkommenes Wesen von ihnen bezeigte. Eine aber von denen Zauberinnen bekante/ daß der Teuffel sie bißweilen entkräfftete/ und den Leichnam liegen liesse/ welchen er aber auch offt

mitführte. Idem etiam confessi sunt pueri, ab iisdem sagis corrupti! Diese Kinder beklagten sich alle / über die von denen Zauberinnen angethane Plagen sehr jämmerlich. Man befragte sie / ob sie auch dessen gewiß wären / daß sie der Teuffel weggeführet hätte? Sie bekenneten solches alles mit ja / das solches in der That und gewiß geschehen wäre. Worauff auch die Zauberinnen gefragt worden / ob der Kinder Bekändnüs wahr wäre / worbey eine Ermahnung geschahe / die Warheit zu bekennen / von diesem Lügen-Geiste / dem sie dier[illegible] / abzuweichen / und sich zu GOTT zu bekehren. Sie verläugneten aber alles mit grosser Hallstarrigkeit / ohne einige Trähnen / ohngeachtet / daß sie zur Bekändnüs angestrenget wurden. Hiermit wurden die Kinder allein geexaminiret / umb zu erfahren / wie das Bekäntnüs übereinstimmen möchte. Da man dann alles gleichstimmig befunde. Etliche kleine Kinder aber wusten alle Umbstände nicht zu sagen. Unterdessen examinirten auch die Geistlichen die alten Zauberinnen / sie kunten sie aber zu keiner Bekäntnüs bringen. Sie blieben

halsstarrig

halsstarrig/ biß endlich einige mit vielen Thränen zu einer Bekändnüs kamen/ welche mit der Jenigen von Kindern überein-stimmete. Sahe man also hierauff eine hertzliche Bereuung über die begangene Greuel / worauff sie ümb Gnade baten/ sagende dabey / daß der Teuffel (welchen sie Loeyta benahmten) einigen von ihnen den Mund zuhielte / andern die Ohren zustopffte / ümb zu keiner Bekäntnüs zu kommen. Wann er aber von ihnen gewichen wäre / so könten sie nicht länger leugnen / dabey sie dann seine Betriegerey bald merckten. Kamen also die Bekäntnüsse von denen in der Landschafft Elffdalen / mit denen in dem Dorffe Mohra meist überein. Vid. *Grilland.* l. 2. de sort. qv. 7. conferantur item *JCti*, aliique ejuscemodi criminum inquisitores.

§. VI. Excipiunt quidem ad hoc ipsum argumentum adversarii, dicentes, *confessionem* illam esse *extortam*, esse *judicii corrupti* & *phantasiæ depravatæ*, adeoque *corporalem illam transmigrationem* minimè sufficienter probare. Verùm Resp. (1) *confessio* illa *unanimis* est *omnium* tam *pœnitentium*, quam *impœniten-*

nitentium. (2) Quid? quod nec in ipso *rogo*, ubi *nihil fictio* profutura, & exhausta jam ferè sunt tormenta, rem dissimulent. (3) Addunt quoque, quod præprimis notandum, se quandoque *phantasticè*, quandoque *corporaliter* translatas esse. (4) Et si *confessio extorta*, si *judicii corrupti*. quomodò, quæso, *tanta omnium* vel in *levissimis circumstantiis* recensendis poterit esse *convenientia*. (5) Accedit, quod non *solæ sagæ*, vel *Magi*, sed *alii* quoq;, ab eorum crimine immunes, qui curiositate aut inconsideratia ad illa conventicula deducti fuêre, idem confiteantur. Hinc porrò probamus Thesin nostram.

§. VII. (4) *Ex aliorum, sagas concomitantium, reali deductione & reversione.* Si enim *alii, sagas concomitantes, beneficio unguenti à Diabolo verè in dissita deducti fuerunt loca, & per aliquot milliaria deinceps reverterunt, sequitur, quod nec illud de Magis sit negandum*: Atqui verum prius; Ergò & posterius. *Majoris* connexio firma. *Minor* partim ex *antecedentibus*, partim ex *sequenti* patet historiâ, quam narrat *Joh. Bodinus* lib. 2. Dæmon. c. 4. Vir quidam tenuis, cùm Uxorem interdum abesse noctu perciperet, bonamque noctis

par-

partem emanere; Præterea dicentem se aut ad deonerandum alvum egredi, aut ad lavandum cum vicinâ suâ, aliquoties falsi eviciſſet, suspicionem concepit de perfidâ ejus libidine, & necem interminatus est, nisi locum, quò proficisceretur, indicaret. Illa sibi à periculo metuens, rem, ut erat, confessa est: Atque ut explores & videas, rem ita se habere (ait illa) si volueris, eodem venies. Tunc tradidit ei unguentum, quô se uterque inunxerunt, & pronunciatis aliquot vocibus, Diabolus eas Lochiis in arenarias Burdegalenses (quæ à Lochiis minimum quindecim dierum spatio absunt) exportavit. Videns itaque Vir, se in ignotâ Magorum & diabolorum humanâ specie, aspectus tamen horrifici, frequentiâ versari, dicere cœpit: *Deus mi, ubinam sumus?* Hoc dicto repentè cœtus disparuit. Ille verò cernens nuditatem corporis sui, oberravit per agros nudus, donec manè rusticos invenit, qui ipsi in viam deduxerunt. Reversus Lochias, ad Quæstorem rerum capitalium contendit rectà: qui auditâ probè historiâ, fœminam prehendi jussit: Illa verò minutatim omnia, quæ diximus, confessa est, & ultrò agnovit peccatum.

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΤΑΣΤΙΚΗ,

Argumenta Adversariorum diluens.

OBJECTIO I.

Quicquid Dæmoni est impoßibile, illud quoque non præstat: Atqui corpora sagarum tam gravia subitò in superiorem aërem tollere, & intra tantillum temporis spatium, in loca præsertim longè dissita, transportare, dæmoni est impossibile; Ergò. *Majorem* probant, quia nihil agit ultra Sphæram suæ activitatis.

SOLUTIO.

Resp. Neg. *Minorem.* Diabolus enim robustior est quovis corpore humano, etiam Giganteo. Et quia *possibilitatem* suam monstravit in uno & altero, cur non idem posset in cæteris, quæ cum prioribus ejusdem sunt ponderis & magnitudinis? *Simon Magus* à malignis Spiritibus verè sublatus, sed precibus *Petri* detrusus, repentino elisu extinctus est, teste *Egesippo* l. 3. Excid. Hierosl. c. 2. *Apollonius Tyanaus* verè à suo Spiritu, Smyrnâ Ephesum translatus est, referente *Philostrato* in ejus vitâ. *Antidius*, Turonensis Episcopus, verè

verè à Cacodæmone, Turone Romam delatus, & ab eodem Româ Turonem relatus est, teste *Sigeberto* in Chron. sub. ann. 411. Vid. *D. Konig.* l. a. p. 41. Quid igitur obstaret, quo minus in Sagis quoque idem præstare posset cacodæmon? Nulla sanè apparet *impossibilitas* nec ex parte *moventis*, nec ex parte *mobilis*. Tametsi quidem *modus* angelicus movendi corpora, penitus nobis non sit perspectus, certum tamen est, quod ab *ignoratione modi ad negationem rei ipsius N. V. C.*

OBJECTIO II.

Quicunq; intra istud tempus, quò longius abesse dicuntur, suis tamen locis fixi verè tenentur & ne pedem quidem vel extra lectum vel extra limen movent, illi verè & corporaliter non sunt transportati; Atqui *Sagæ intra istud tempus, quo longius abesse dicuntur suis locis fixæ tenentur &c.* Ergò. *Major* in propatulo est; quia corpore avehi, & tamen eodem in suo situ stabilem simul permanere, impossibile videtur. *Minorem* variis comprobant exemplis *Olaus Magnus*, *Tostatus*, *Grillandus* aliique. Et constat ex vitâ *D. Germani*, de Mulierculis convivantibus, ut videbantur, & tamen domi repertis dormientibus.

SOLUTIO.

Resp. (1) Limit. *Major* ex parte *Prædicati* h. m. *Q. intra iſtud tempus* &c. *illi verè & corporaliter*, ſcil. *eo tempore, quo in lectis fixi, non ſunt tranſportati.* Atque ſic conceditur totum Argumentum. Nam uti *transvectionem* quandoque *phantaſticè* fieri, concedimus; ita eam ſemper eſſe talem negamus. Committitur igitur *fallacia ignorationis Elenchi*, dum ſtatum *controverſiæ* ignorant & pervertunt contradicentes, & malè quoque à *particulari* ad *univerſale* argumentantur. (2) Quòd ſi verò *Minorem univerſaliter* enuncient, oppidò ea *falſa* eſt, cùm contrarium vel ex *Antecedentibus* ſatis ſuperque conſtet. (3) Adde, quod adhuc κρινόμενον ſit, utrum illæ *Sagæ*, quæ, dum longius abeſſe creditæ ſunt, & tamen ſuis in lectis immotæ jacuerunt, fuerint *phantaſticæ*, an *veræ*? Qui enim fieri nequeat, ut diabolus in locum *abſentis ſagæ* aliam *perſonam* ſubſtituat, quæ quoad *formam* & *ceteros actus* abſentis vicem ſuſtineat? Audiatur modò *Carpzovius* part. 1. Prax. Crim. q. 48. n. 59. ita hâc de re diſſerens: *Ne fortè lamiarum abſentia à maritis in loco deprehendatur, illa per incantationem aurem maritorum velli-*

vellicando dexterâ manu, prius incantato unguento illitâ, eis conciliant somnum, è quo non facilè possint excitari: Vel personas quasdam jam dormientibus maritis adumbrant, quas, si contingeret intereà expergisci, suas uxores esse putarent: Vel etiam alius dæmon in formâ succubi adlatus maritorum adjungitur, qui loco Uxoris sit, & si opus fuerit, omnia illius officia in thoro conjugali subeat, ad quæ Diabolus se promtissimum exhibet, seq; ita accommodare scit, ut etiam sapientissimum quemq; fallere possit.

OBJECTIO III.

Q. Personæ subitò evanescunt, illæ non sunt veræ, sed phantasticæ; Atqui *conventûs sagarum Personæ subitò evanescunt;* Ergò. *Major* firma, quia *verum* corpus *subitò evanescere* nequit. *Minor* experientiâ constat, quæ testatur, sagas in istis conventibus interdum pronunciatô nomine JESU subitò disparuisse.

SOLUTIO.

Resp. Limit. *Majorem* h. m. Q. *personæ subitò evanescunt*, sc. *propriè & strictè sumto evanescendi terminô, illæ non sunt veræ:* Jam cadit *Minor. Sagæ* enim, quæ conventui interfuerunt, non *evanuerunt*, sed præstrictis cernentium

tium oculis à ſuis dæmonibus *celerrimè* fuerunt ablatæ: & ſic *disparuiſſe* dicuntur, *latè & impropriè* accepto vocabulo, prò *deſierunt videri.*

OBJECTIO IV.

Si in ipſis Sagis celebrantur choreæ, Diabolo occupante animos, formanteq; ad libitum phantaſmata, ſequitur, *quod non opus ſit, ad externa rapi loca.* Atqui verum eſt prius; Ergò & poſterius.

SOLUTIO.

Reſp. Hoc argumentum id ſolùm evincit, quod Diabolus *animos* potius occupare, & à Deo alienare ſtudeat: Id quod nos non negamus. Sed tamen occupato *animo corpus* non dimittit: Imò per *corpora* petit *animos*, & quamvis ipſi non *opus ſit* translatio ad ſeducendos animos: *Præſtat* tamen illud facere, cùm propter *ſacra*, inſtar feſti ſolennis, Judæorum imitatione, uno in loco celebranda; tùm *colligendæ ſervandæq; turbæ*, & *imperii ſtabiliendi* cauſa, tum quod non quovis in loco expedire ſua decreta poſſit, & judicia exercere.

OBJE-

OBJECTIO V.

Q. absurdum, non est asserendum. Atqui *absurdum est, è lecto conjugali, divinitùs & mandato & custodito, à Diabolo rapi sociam, Marito non sentiente:* Ergò. Præterea *interrogati nonnunquam mariti, nusquam abiisse Conjuges sunt contestati.*

SOLUTIO.

Resp. (1) Si *absurdum* in eâ, quâ debet, significatione intelligitur, *Major* propositio falsa est. Multa enim sunt *absurda*, quæ tamen non neganda. *Absurdum* est, *nivem non esse albam*, at quid verius? *absurdum* est, *lapideam dari chartam*; falsum tamen non est. (2) Multa fiunt *permittente Deo*, etiam quæ *absurda*, imò *impia* nobis videntur. Quid *absurdius* excogitari poterat, quàm *Filium Dei abducendum à Satana, atque à Judæis cruci affigendum esse*? quod tamen contigisse, sacræ literæ commemorant. (3) Si dæmon potest fascinare *mulierculam*, cur non & objicere *viro* phantasiam præsentis Uxoris valeret? (4) Testatur *Libavius* Sing. Part. I. p. 324. abeuntem *maritam* pocula duo secum portasse ad Sabbata, quæ posteà relicta inventaq; ad mariti manus redierunt.

OBJE-

OBJECTIO VI.

Cujuscunque rei instrumenta sunt vana & suspecta, illa ipsa quoque talis est: Atqui *transportationis Sagarum instrumenta sunt vana & suspecta*; Ergò. *Majorem* probant: quia *qualis causa, talis etiam effectus.* Pro *Minore* dicunt, nullam *unguento* inesse vim ad *evolandum. Melancholicas* quidem *imagines* procreare id posse; *corpus* verò minimè *promovere.* Sic ineptum quoque esse, *furcâ scopisq; insidentes equitare*, & quæ sunt alia.

SOLUTIO.

Resp. (1) Neg. *Majorem*, quia multarum sæpè rerum *instrumenta* suspecta sunt; propterea tamen res ipsa tollenda non est. *De loco in locum moveri*, malum non est: licet nonnunquam illius *motionis media*, *pallium* videl. aut furca, superstitiosa sint. Sic nec rejicienda statim *vulnerum curatio* est: quia interdum per *unguentum armarium* facta. Servetur *usus*, tollatur *abusus.* Et quemadmodum non omnia, quorum *instrumenta* sunt *bona*, *laudem* propterea merentur: quis enim *superstitionem* probet, quæ *dictis Scripturæ* utitur, vel potius abutitur? Ita nec omnia ea

vitu

vituperanda, aut neganda, quorum *organa minus* apta esse videntur. Ad probationem verò *Majoris* resp. disting. inter *causam principalem*, & *instrumentalem*. De *illa* loquitur *regula* allegata, non de *hâc*. (2) Tametsi igitur *instrumenta* vel *media* illius *transportationis* sint *ludicra* & *absurda*; Talis tamen *rector* & *gubernator* illorum *primarius* non est. Hic enim satis aptus atque potens est, ad transportationem illam perficiendam.

OBJECTIO VII.

Quicquid contra naturam corporis est, asserendum non est: atqui *corpora sagarum gravia brevi momento multa millia passuum percurrere, contra naturam corporis est*; Ergò. *Minorem* probant, quia corpora illa aut *naturaliter* moventur, aut *violenter*; sed *neutro* modo: quia *respirare* nequeunt paulo concitatius *currentes*, & sic multo minus per aërem raptæ *sagæ*: Sine *respiratione* verò *vita* esse non potest.

SOLUTIO.

Resp. (1) Committitur *fallacia ignorationis Elenchi*. Non enim quærimus: An *brevi momento* sagæ tam longùm possint conficere

iter?

iter? Sed an *verè & realiter* transportentur à Satanâ? *Hoc* affirmamus, non *illud*. (2) Disting. inter *breve aliquod temporis spatium*, & inter *breve momentum*. Dicimus, si non *momento*, *brevi* tamen *temporis spatio* emetiri aliquot passuum millia sagas posse, adjuvante Diabolo. Idque ut credamus & dicamus, inducit nos velocissimus *stellarum* vastissimarum *motus*. Accedunt *exempla Eliæ*, *Philippi* & alia, quin & ipsius *Salvatoris*. (3) Et finge, illo motu sagas seu dementari, seu affici instar eorum, qui lipothymiâ & ecstasi correpti satis diu spiritu carent; propterea tamen anima non statim ipsos reliquit. *Inhibita* enim tantùm *respiratio* est, non prorsus *sublata*.

OBJECTIO VIII.

Corpus naturale non potest nisi *naturali motu* transferri. *Diabolus procedit* quidem & *mutat loca*, sed absque *motu locali*. Eum sequi *naturale corpus sagæ* non potest. Non enim conciliantur *motus naturæ* & *processio Spirituum*, & est motus *passio quædam materiæ*, quæ *formis* non competit nisi *ex accidente*. Quin *in loco* non est *propriè* nisi *corpus locale*.

SOLU-

SOLUTIO.

Non video, quid hac ſibi objectione velit pars adverſa. Num forſan *corpus alio modo moveri* aſſerit, quàm *Spiritum?* At hoc & nos ſtatuïmus nec negavimus unquam. Diſting. itaque inter *motum Phyſicum*, & *Pneumaticum*, *propriè* & *impropriè* dictum; ſive inter *mutationem* τ͂ *ubi* & *loci*. Non dicimus, *dæmonem* moveri *propriè*, *Phyſicè*, *mutando locum*; ſed *impropriè*, *Pneumaticè*, per *mutationem* τ͂ *Ubi*; Et quamvis *adjungat* ſe *corpori Sagarum*, illudque ſecum abripiat; Propptereà tamen *motus localis* ipſi non eſt tribuendus. Alius *motus corporis aſſumti*, alius *Dæmonis* eſt. Et duo cùm faciunt idem, non eſt idem. Interim *diſting.* inter *moveri æquivocè*, & *per Accidens*. Prius, non poſterius *Spiritibus* adſcribimus. Vel inter τὸ *moveri per accidens ſubjectivè* ſ. *intrinſecùs*, quando movetur aliquid ratione ſubjecti, à quo dependet, & *per Accidens attributivè* ſ. *extrinſecùs*, quod in ſe non eſt ſubjectum motus, neq; per accidens, ſed attribuitur alicui ſubjecto, quod movetur per ſe. Sic Dæmon non movetur *per Accidens intrinſecùs*; aliàs enim *uniretur* corpori

S per

per *modum formæ*, nec ita moveri posset, nisi ita *intimè* uniretur; quod tamen ejus natura non admittit: Sic enim Angelus ut *forma* cum *materia* constitueret *totum essentiale Physicum*. Movetur verò *per Accidens extrinsecùs*, quia in se quidem est immobilis, jungitur tamen alicui *per se* mobili, ut corporibus humanis, quando illa assumit. Vide *Zeisold.* in Pneumat.

OBJECTIO IX.

Si transportatio illa esset vera, iisdem furcis & unguenti adminiculis transferrentur & alii, posseтq; ars doceri. Sed posterius non est; Ergò nec prius.

SOLUTIO.

Resp. Negando *Minorem*. Cùm enim vis translationis nec *unguenti* sit, nec *precum*, non quilibet iis adhibitis avolabit, sed qui *ex pacto* debet, *permissu Dei*, siquidem *procuratori Stygio* etiam placuerit. Deinde nihil frequentius accidit, quàm *innocentes* magiæ veneno infici. Testis ubique ferè experientia, cumprimis in Svecia, ubi trecenti amplius pueri, in quibus multi quatuor vix annos nati, corrupti à veneficis atque Diabolo traditi sunt:

Quâ

Quâ de re ſequentia extant teſtimonia: Nachdem es Ihr Königl. Majeſt. allergnädigſt beliebet hatte/ über die entdeckte Zauberey in dem Dorffe Mohra und ümbliegenden Orthen/ eine Commiſſion, ſo wohl von welt-als geiſtlichen Perſohnen anzuſtellen/ eine fleiſſige Unterſuchung deshalben zu thun/ ſo ſind am 12. Auguſti 1669. die sämptliche Herren Commiſſarii im beſagten Dorffe in des Prieſters Hauß gekommen/ und von den geiſtlichen und vornehmſten Inwohnern ſolches Ohrts ſehr bewillkommet worden/ mit wünſchen/ daß ſie von ihrem jämmerlichen Zuſtande möchten erlöſet werden. Sie erzehlten darauff mit Thränen und Seufftzen die wunderbahr und nie erhörte Geſchichte von des Teuffels Betrieb: Wie daß er in ihren Ohrten durch der Zauberinnen Hülffe einige hundert Kinder an ſich hätte ziehen und in ſein Gewalt bringen können. Et poſtea: Man befunde nach gehaltenem Examine im beſagten Dorffe 70. Zauberinnē/ wovon man 23. zum Tode verurtheilte/ welche alle gutwillig bekant hatten/ andere/ die Schwanger waren/ und ihre gethane

thane Bekäntnüs wieder geleugnet hatten / würden nach Faluna geschicket / woselbst sie aber auch meist nacheinander sind getödtet worden. Es wurden auch 15. Kinder / welche ihre Gemeinschafft mit solcher Zauberey bekennt hatten / getödtet. 36. Kinder zwischen 9. und 16. Jahr alt / wurden mit Spißruten gegeisselt. Zwantzig Kinder / welche man auch zu diesem Greuel gesinnt vermercket / würden wegen ihrer Jungheit verurtheilet 3. Sontag nach einander in den Kirchthüren mit Ruthen in der Hand zustehen. Die obige 36. Kinder / welche die Spißruten erleiden müsten / müssen dieser Straffe / die Ruten sontäglich in den Kirchthüren zu halten / ein gantzes Jahr unterworffen seyn. Die Zahl der Kinder / welche von den Zauberinnen sind verführet gewesen / ist ohngegefehr drey hundert. Sieben und viertzig würden zu einer nähern Erforschung bewahrt / weiln man sie zu keiner Bekäntnüs bringen könte.

CAPUT

CAPUT VIII.
DE
INFANTIBUS SUPPOSITITIIS.

Nominis Etymologia, Homonymia, Synonymia. Probatur, quod dentur ejusmodi Infantes. *Definitio. Causa eorum efficiens. Materia. Forma. Finis. Cur dæmon Infantibus Christianorum insidietur. Attributa Infantum Supposititiorum. Cognata,* die Elben, böse Dinger / *Partus Sagarum. Homunculi omniscii. Differentia inter veros, & supposititios Infantes. An dæmon cum sagis generare possit verum hominem?* Negatur. *An dæmon possit edere vitales operationes? Negatur. Infantes supposititii non sunt homines, neq; monstra.*

SECTIO I.
DOGMATICA
MEMBRUM I.
Explicans NOMEN.
§. I.

CIrca *nomen* exponenda venit (a) *Paronymia.* Sic dicuntur isti fœtus *Infantes*, ab *in* & *fari*, quasi sint ii, qui *non fari* possunt. Deinde additur: *Supposititii*, quia *supponuntur* à

tur à *Diabolo* loco verorum natorum. Nam *supponere* eſt *falſum pro vero ſubdere*.

II. (b) *Homonymia*, tum quoad *terminum incomplexum*, *Infans*. Hic enim ſumitur (1) *impropriè & Rhetoricè*, vel pro *infantia ipſa*; vel pro *impubere*; vel pro *indocto*; vel pro eo, quod tantùm *aſſimilatur* infanti, uti h. l. (2) *propriè* & *Grammaticè*, partim quidem in *ſenſu paſſivo* pro eo, quod *execrabile* eſt, inauditum, infandum, nefandum; partim etiam in *ſenſu activo*, pro *homine primæ ætatis*. Vid. *Opuſc. meum Theol. de Fide Infantum* cap. 1. ſect. 2. p. 33. Tum quoad *terminum complexum*, *Infans ſuppoſititius*, qui interdum in *ſenſu laxiori* cuilibet ſuppoſititio infanti, etiam *vero homini*, tribui ſolet; ut plurimum verò in *ſignificatu famoſiori* eos tantùm ſignat fœtus, qui *Diabolum* agnoſcunt *auctorem* tum quà *productionem*, tum quà *ſuppoſitionem*.

§. III. (c) *Synonymia*, ſecundum quam infantes hi aliàs dicuntur *Cambiones*, (ab antiquo *Cambio*, quod *permutare* ſignificat ap. *Priſcian*. lib. 10. ex *Chariſio*.) Italis audiunt *Vagiones* à continuo ferè *vagitu*. Germani vocant die Kiel-Kröpffe / weils in ihren

ren Kröpffen stets Kielt; it. Wechselbälge/ Wechselbutten / ausgetauschte Kinder/ Freßbutten etc.

Membrum II.
Demonstrans EXISTENTIAM.

§. I.

HÆc tum ex *recentioribus* tum ex *vetustioribus* nota est exemplis, quorum nonnulla in medium hîc producere, non absre erit. Initium autem petemus ex B. nostri *Lutheri* Colloqv, Mensal. utpote qui αὐτοψίᾳ sua rem confirmat sequentibus verbis: Vor acht Jahren war zu Dessau eines (verstehe / ein Wechsel Kind) das ich D. Martin Luther gesehen und angegriffen habe / welches 12. Jahr alt war / seine Augen und alle seine Sinne hatte / daß man meinete / es were ein recht Kind / dasselbige thät nichts / denn daß es nur fraß / und zwar so viel / als jrgend vier Bauren oder Trescher: es saß / schieß und seichte / und wenn man es angrieff / so schrey es; wenns übel im Hause zuginge / das Schaden geschach / so lachet es / und war frö-

 lich;

lich; gieng es aber wohl zu / so weinete es. Diese zwo Tugenden hat es an sich.

§. II. Huic aliud, ejusdem argumenti, exemplum idem *Beatus vir* eodem loco addit, quod propè Halberstadium in Saxoniâ contigit, ubi etiam rusticus quidam infantem supposititium habuit, qui non matris tantùm, sed quinque præterea aliarum nutricum ubera exsuxerat nimiumq; quantum devoraverat & miris modis sese gesserat. Hunc Hockelstadium transferendum, ut ibi in cunis agitatus convalescat, svadent vicini. Morem gerit rusticus, fœtum suscipit & ad prædictam urbem tendit. Cum autem rivum quendam transiret, ecce Diabolus, sub ponte latitans, clamare occipit: Kiel Kropff/ Kiel Kropff. Cui statim puer. ho ho. Pergit ille: Wo wiltu hin? respondet hîc: Ich wil gen Hockelstad zu unser lieben Frawen/ und mick alda laten wiegen / dat ick mög etwa diegen. Percipiens hoc rusticus, admiratur inauditam hactenus socii sui loquelam, & indignabundus eum in aquam præcipitat, qui statim cum altero illo se conjunxit, collusit & non semel Stentoreâ quasi voce iteravit suum ha / ha / ha / donec tandem

dem ambo oculis ipſius ruſtici repentè ſubducti fuerunt.

§. III. Accedit *Paulus Friſius Nagoldanus* (im Bericht von Hexen und Unholden punct. 8.) eandem infantum Suppoſititiorum exiſtentiam hâc confirmans hiſtoriâ. Heslochii propè Odernheim in Gaw aulicus quidam cum coquâ ſua clandeſtinas celebravit nuptias. & poſteà quoque filium ex eâ ſuſcepit. Hujus in locum ſtatim, operâ Diaboli, alius ſucceſſit ſuppoſititius, qui nocturnis diurnisque vagitibus parentum aures replevit, cibos famelici inſtar lupi devoravit, nec tantillum tamen crevit. Solliciti fuerunt parentes, & quid agendum, prorſus ignorarunt. Donec tandem mater id conſilii cepit, fore, ut priſtinæ integritati reſtituatur proles, quam adhuc putabat eſſe ſuam, dummodo Neuhuſii, in Cyriaci, ut vocant, cunis, ipſam agitaret, ex ejusdemque fonte illi propinaret. Placuit ſententia marito, quamobrem ut acceleraret iter, autor extitit. Obtemperavit uxor, & fecit, quod faciendum decreverat. Sed quid intereà? Ecce angelus, perſonâ indutus ſcholaſtici, & curro vectus, eunti obviam proceſſit, ex eaque, quid

monſtri portaret? quæſivit. Reſpondit miſera: eſſe filium ſuum cariſſimum, quem Neuhuſianis cunis committere conſtituiſſet. At ille; Non filius hic tuus eſt, ſed ipſe perſonatus Diabolus: Tolle nebulonem & præcipita in aquam. Cum verò nollet, ſibi perſvadens, genuinum ſuum, quem edidiſſet, eſſe partum, oſculaque ipſi figeret dulciſſima, iterum adoleſcens angelus infit: Filius tuus domi in novis jacet cunis, & quidem in camerâ hypocauſto contigua. Hanc, quam portas, non tuam, ſed dæmonis ſobolem eſſe ſcito. Quamobrem tolle, tolle peſſimum hunc nequam ſine ullâ morâ. Id quod cum licet non ſine lacrymis & gemitibus, tandem effeciſſet, horrendus exortus eſt ululatus & murmur, luporum inſtar atq; urſorum. Ipſa verò domum reverſa invenit, quæ angelus prædixerat, omnia.

§. IV. Memoratu verò imprimis digna eſt illa hiſtoria, quam idem auctor d. l. adducit, cujus ipſa Germanica verba adſcribere non verebimur. Ita autem ille: Vor 3. Jahren (verſtehe Anno 1580.) hat ſich nachfolgende warhafftige Hiſtori begeben: Nahe bey Breßlaw anwohnet ein namhaffti-

ger

ger Edelman / der hat im Sommer viel Hew und Grummet auffzumachen / darzu ihme denn seine Unterthanen fröhnen müssen; Unter diesen ward auch beruffen eine Kindbetterin / so kaum acht Tage im Kindbette gelegen. Wie sie nun siehet / daß es der Juncker haben wolte / und sie sich nicht weigern könte / nimpt sie ihr Kind mit ihr hinaus / legt es auff ein Häufflein Graß / ging von ihme / und wartet dem Hewmachen aus. Als sie nun eine gute weile gearbeitet / und zu ihrem Kindelein / dasselbige zu seugen / gehen wil / siehet sie das Kind an / schreyet hefftig / und schlägt die Hände übern Kopffe zusammen und klaget männiglich: diß were nicht ihr Kind / weil es geitzig / ihr die Milch entzöge / und so unmenschlich heulete / daß sie an ihrem Kinde nicht gewohnet were. Wie dem allen / so behielt sie es etliche Tage über / das hielt sich so ungebührlich / daß es die gute Frau gar nahe verderbet hette. Solches klaget die Frau dem Juncker / der sagt zu ihr: Frau / wenn euch bedüncket / daß dis nicht euer Kind sey / so thut eins / und tragt es auff die Wiesen / da ihr das vorige Kind hinge-

hingelegt habt/und streichet es mit der Ruthen hefftig/ so werdet ihr Wunder sehen. Die Frau folget dem Juncker/ ging hinaus und strich das Wechsel Kind mit der Ruthen/ daß es sehr geschriehen hat. Da brachte der Teuffel ihr gestolen Kind und sprach: da hasts/ und mit dem nam er sein Kind hinweg. Alia jam commemorare supersedebimus.

MEMBRUM III.

Sistens DESCRIPTIONEM.

§. I.

EVolutâ jam quæstione εἰ ἐστι, recto jam pede pergimus ad alteram, quæ habet τί ἐστι. Ubi ante omnia non possumus non fateri ingenii nostri imbecillitatem, quæ accuratiori difficillimæ hujus materiei scrutationi obicem posuit. Quamobrem non est hic *exacta* atque *exquisita* à nobis expectanda *definitio*, præsertim cum natura etiam ipsius rei repugnet. Contenti interim simus *aliquali* saltim *descriptione* atque declaratione, quæ hæc est: *Infantes supposititii sunt fœtus, figuram hominis repræsentantes, à diabolo in sagarum*

garum utero ex sanguine vel alia materia effor-mati atque producti, & loco verorum infantum suppositi, quos ipse præsentiâ suâ movet ac diri-git, ad illudendum hominibus.

§. II. Dicimus *infantes supposititios* esse *fœtus*, quo ipso exprimimus *conceptum* eorum *latiorem*, respicientes ad primam originem. Hoc enim respectu, fœtus *quasi essentiale* la-tius sese habet ad *Cambiones* & *proximè* ipsis competit. Habet, inquam, se *tanquam es-sentiale*, quia *cambiones* dicuntur *infantes:* nullus verò potest esse *infans*, nisi sit *fœtus*. *Tanquam latius* quoq; sese habet, quia fœtus ad omnia ferè, quæ nascuntur, refertur. Sic non animalium tantum, sed arborum quo-que dantur fœtus, *Plin.* l. 8. c. 10. *Cic.* 3. de Finib. 2. de Orat. *Virgil.* 1. & 2. Georg. Deniq; *proximè* quoq; fœtum infantibus supposititiis convenire, ex eo liquet, quia, respectu ad productionem habito, nullum datur terti-um hos inter & illum. Hæc de *conceptu latio-ri. Strictior à caussis* est de sumtus, quas se-quens membrum exponet.

MEMBRUM IV.
Exhibens CAUSSAS.
§. I.

CAussæ sunt vel *internæ*, ut *Materia* & *Forma*; vel *externæ*, ut *Efficiens* & *Finis*. *EFFICIENS* est partim *Diabolus*, spurcissimus ille Spiritus, qui cum vetulis suis libidinosissimis turpissimè congreditur, ex quo congressu deinceps diabolicus ille fœtus suscipitur. Intelligendus autem h. l. est *dæmon incubus*. Nam duum generum sunt, qui cum hominibus concumbere dicuntur: alii *Incubi* sive *Ephialtæ*, alii *succubi* sive *Hyphaltæ* nominati. *Succubus* dicitur, qui assumto corpore in speciem mulieris formato alicui succumbendo semen virile recipere putatur. *Incubus* est, qui virili formâ assumta semen maris receptum incumbendo transfundere dicitur in matricem fœminæ. Atq; hunc *Infantum supposititiorum auctorem* constituimus, & quidem (*a*) *ratione formationis*, quia format & figurat eosdem in utero sagarum; (*b*) *ratione productionis*, quia producit eos per partum ex claustris veneficarum; (*c*) *ratione suppositionis*, quia supponit eos, id est, commutat cum genuinis

& veris

& veris aliorum hominum fœtibus, quos aufſert & ad ſuas defert pediſſequas.

§. II. Partim *Saga* ipſa, quæ turpem cum amaſio ſuo rem exercet. Eſt autem & hæc *cauſſa Efficiens* infantum illorum, quia *ſuppeditat materiam* aptam ad corpus elaborandum. Ubi tamen obſervandum, quod ex materia illâ non *ſemper* figurentur *infantes*, ſed nonnunquam *vermes* etiam, *eruca*, aliaque quibus poſtea nocent hominibus, immiſſis iis per faſcinationem in crura, brachia, parteſq; alias. Sed de his deinceps.

§. III. *MATERIA infantum ſuppoſititiorum* eſt vel *ex quâ*, vel *in quâ*, vel *circa quam*. *Materia ex qua* eſt *ſemen & ſanguis maternus*. Ex hoc enim malignus ille Spiritus corpus quoddam elaborat, humano perquam ſimile. Poſſe autem dæmonem id præſtare, non negabit, qui ſpectrorum naturam penitiùs conſiderabit. *Materia in qua* eſt *Sagarum uterus*: in hoc enim fœtus ſui lineamenta format dæmon. *Materia circa quam*, ſunt partim *ipſæ veneficæ*, circa quas, quaſi *matres*, *infantes* illi *Satanici* verſantur; partim *alii homines*, quibus *genuina proles* ſublata & *ſpuria* illa caro fovenda eſt allata.

§. IV.

§. IV. *FORMA* (intellige non *Physicam*, sed huic *analogam*) est vel *interna* vel *externa*. *Interna* nō est *anima rationalis*, uti vulgus sibi persvasum habet: animam enim rationalem unà cum corpore organico, uno verbo, verum hominem generando producere, diaboli potentiam excedit, uti postea docebitur; Sed est ipse *dæmon*, qui editum in lucem suum fœtum movet, loquitur ex eo, vagit, ubera sugit, omniaque præstat, quæ præstare videtur infans. Est autem *forma*, non *informans*, quæ tanquam incompletum quid cum materiâ constituit corpora naturalia, sed *assistens*, quæ operationes rei dirigit, cum eâ tamen essentialiter non unitur, sed extra essentiam manet. *Externa* forma est partim *absoluta*, quæ est *externa* illa, sub quâ apparent, *figura*, *humanam imaginem repræsentans*; Partim *respectiva*, scil. *suppositio*, quæ *infantes* illos constituit in *esse respectivo*, quatenus sunt *Supposititii*.

§. V. *FINIS* est *illusio hominum*. Eam enim ob caussam diabolus cum mancipiis suis congreditur & monstrosum ejusmodi partum ex iis suscipit, eundemque pro veris hominibus substituit, *ut*, quod propriū ipsius est in

est in quarto modo, *homines decipiat.* Decipit verò (1) *Sagas*, turpem cum ipsis rem exercendo, uterumque earum ita inflando, ut veram quandam se parituras prolem existiment. Quinimmò adeò eas circumvenit, ut, nisi resipiscant, æternæ tandem salutis jacturam faciant. (2) *alios* etiam *pios homines*, quorum *genuinam sobolem*, permittente Deo, aufert, suamq; *adulterinam* substituit. Sed *quid*, inquies, *dæmon cum sublatis illis Christianorum infantulis agit?* Resp. Tradere dicitur eos magis ac *Sagis suis* ad varios magicos usus exercendos. Imprimis verò ex *pingvedine infantum unguentum* quoddam præparant sagæ, cujus beneficio transferuntur in montem *Bructerorum* ad solemnia sua Sabbata, quæ vocant, celebranda. Cæterùm *cur infantibus tantas tamq; varias moliantur insidias*, ipsæ exponunt sagarum confessiones ap. *Niderium Fornicar.* lib. 5. his conceptæ verbis: *Infantibus nondum baptisatis insidiamur, vel etiam baptisatis, præsertim si signo crucis non muniuntur & orationibus: hos in cunabulis vel ad latera jacentes parentum, ceremoniis nostris occidimus: quos, postquam putantur oppressi esse vel ali de mortui, de tumulis clam furto recipimus,*

T caldari

caldari decoquimus, quousque evulsis ossibus tota fere caro efficiatur sorbilis & potabilis. De solidiore hujus materia ungventum facimus, nostris voluntatibus & artibus ac transmutationibus accommodatum: de liquidiori verò humore flascum aut utrem replemus, de quo is, qui potatus fuerit, additis paucis ceremoniis statim conscius efficitur & magister nostra secta. Præterea sibi persvasum habent si certo numero *corda infantium* exsciderint, & comederint, se *patientiam omnium tormentorum* consecuturas adeò, ut ad confessionem criminum perduci non queant. Vid. *Binsfeld.* in l. multi. C. de malef. quæst. 2. Pertinent huc illi *Nasonis* versus:

Nocte volant, puerosq; petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis:
Carpere dicuntur lactentia corpora rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.

MEMBRUM V.

Recensens ATTRIBUTA.

A*ttributa Infantum Supposititiorum* sunt (1) *egregia voracitas*, (non *physica*, sed *analogica*) *Lutherus* enim. l. a. commemorat, suppositi-

positititium quendam tantum devorasse, quantum vel quatuor rusticis saginandis sufficere potuisset. Alium quoque, addit, non matris tantùm, sed quinq; etiam aliarum nutricum exsuxisse ubera, & præterea plura alia deglutiisse. (2) *Stentorea clamositas*, quæ non raro ipsorum indolem prodit, uti testantur exempla suprà ex *Paulo Frisio Nagoldano* §. 3. & 4. membr. 2. allata. (3) *Insignis deformitas*, quam imprimis *monstrosum caput* parit, utpote quod tanta crassitie atq; magnitudine præditum est, ut, si non exsuperet, æquet tamen facilè hominis adulti caput (4) *Loquendi difficultas*. Interdum enim prorsus ne verbulum quidem eloqui solent; interdum verò loquelam imitantur quidem, sed ita tamen, ut paucissima illa, quæ proferunt, mutilatè exprimantur, nisi forte an terminus instet & dæmon larvatam suam faciem detegere atque manifestare velit. (5) Ἐπιχαιρεκα-κίας *facilitas*. Si enim scelera committuntur, vel damna inferuntur, solent nonnulli cambionum effusè ridere & pergaudere, quod si verò pietati litatur & ex voto negotia succedunt, dolent atq; contristantur. Quæ Practica verè diabolica est.

MEMBRUM VI.

Producens COGNATA.

§. I.

AD hæc ſpectant (1) *vermes* illi atque *erucæ*, quas vocant die Elben / böſe Dinger. De his multa legere licet ap. *B. Carpzovium* in Prax. Crimin. part. 1. q. 50. n. 66. ex quo etiam nonnullas adſcribemus ſententias. Sent. XXI. Wenn ſie mit ihrem Buhlen zuſchaffen gehabt / hätte ſie weiſſe Elben und derſelben allezeit zehen bekommen / ſo gelebet / ſpitzige Schnäbel und ſchwartze Köpffe gehabt / und wie die jungen Raupen hin und wieder gekrochen / welche ſie zu zaubern gebraucht / ihr Buhle auch / ehe ſie gebuhlet / etliche gebracht. Sent. XXIV. Sie hette mit ihrem Buhlen böſe Dinger oder Elben erzeuget / die ſie in ein Töpfflein geſetzt und ihnen Brod zu eſſen gegeben / theils auch ins Waſſer geworffen / wann ſie aber ſolche einem Menſchen zugebracht oder abgetrieben / hette ſie geſagt: Hin / in aller hundert Teuffel Nahmen. Sent. XXXV. Sie (die Hexe) habe von ihm (dem Satan) nach vier Wochen

chen fünff paar böse Dinger gezeuget und gebohren / weren wie weisse Würme gewesen/und hätten schwartze Köpffe gehabt/ die habe sie der Hirtischen Margrethen in das lincke Bein gebracht und gezaubert durch nachfolgenden Spruch: Im Thume stehet die Rosenblume / sie ist weder braun noch fahl / so müssen die Huffdinger zerstäuben und zerfahren / und kommen der Hirtischeu Margrethen in des Teuffels Nahmen an. Dii meliora!

§. II. (2) *Partus* alii, ex eodem toro nati. Qualis anno 1565. die 26. Maij in pago quodam Schmirtz/sito in Dni. Uladislai à Bernstein territorio, est editus: & quidem ἀκέφαλος, in sinistrâ pectoris parte habens os, in dextro humero aurem, in manibus ungues, instar cicutarum, corpus coloris hepatici, sine ossibus, & perpetuò tremulum. Vid. *Christoph.* Richter in Theatr. Histor. cent. 4. c. 94. p. 770. & *Relationem Olmuzensem* publicè impressam.

§. III. (3) *Homunculi omniscii*, quos sine maris cum fœminâ congressu, è solo *virili semine* artis operâ producere nonnulli tentant. Ab hisce solidam eruditionem, o-

omniumque cæterarum rerum cognitionem se habere posse ajunt. Talem enim homunculum, eò quod ex arte natus sit, cuncta sponte sua intelligere, & scientias omnes citra doctoris aut magistri operam sibi congenitas habere putant. Verùm nihil aliud sunt, quam *personati diaboli*. *Unde* enim quæso (α) illa ipsis esset *scientia* atque *eruditio*? Non sanè *à viro* semen ejaculante, ut pote in quo ne γρῦ quidem sapientiæ sæpius latuit; Neq; forsan, *à seipsis* eruditionem illam habere, quis dixerit: cùm nihil sit causa sui ipsius. Relinquitur igitur *diabolus*, Spiritus ille acutissimus, qui per illos homunculos suas exercet operationes. Accedit (β) quod falsò præsupponatur, *marem solum activum* esse in generando homine, cùm præterea etiam requiratur *fœmina*. Sunt enim *causæ sociæ*, quarùm neutra sine alterius concursu solitariè producere potest effectum. Ut nihil dicamus de *calore artificiali*, aliisq; quæ legi possunt ap. *Weinrich.* de Ort. Monstr. c. 23. Confer. etiam *Sperling*. Instit. Phys. lib. 2. c. 4. qv. 7.

MEM-

MEMBRUM VII.

Afferens OPPOSITA.

§. I.

HÆc sunt *veri infantes*, ex homine mare & fœminâ nati. Hi enim opponuntur *infantibus supposititiis*, ex dæmone & homine editis, & quidem non *relatè*: sic enim opponuntur sibi duo relata, ut Pater & Filius; at infantes genuini & adulterini non habent se, ut relatum & correlatum; Neque *privativè*: nam ita quæ pugnant, sunt habitus & privationes; Neque *contradictoriè*, quæ oppositio est inter ens & non-ens; sed *contrariè*, non quidem ut duæ *qualitates*; sed ut duæ *substantiæ*.

§. II. *Differunt* verò *infantes veri* à *supposititiis* (1) *Efficiente*; quia *illorum* efficiens est *homo & homo*, mas & fœmina; sed *horum* efficiens est *dæmon & homo*. (2) *Formâ*. Nam *illorum forma* est *anima rationalis*; *horum ipse diabolus*: *illorum forma* est *informans*, *propria* atque *essentialis*; *horum assistens*, *impropria* atque *accidentalis*. (3) *Materiâ*: quia *illorum materia* est *semen fœcundum*; *horum sterile*: *illorum materia* est *semen maris & fœminæ*, *legitimè commixtum*:

mixtum; *horum* verò *minimè*. (4) *Fine*. *Illorum* enim *finis* est *gloria Dei*, *horum gloria Diaboli*.

SECTIO II.
EROTEMATICA.
QVÆSTIO I.
An dæmon cum sagis possit generare veros infantes, seu veros homines?
Neg.

Ἔκθεσις.

(1.) *Dist.* inter *congressum* & *generationem*. *Hanc* Diabolo denegamus, *illum* verò ipsi concedimus.

(2.) D. inter *congressum phantasticum*, & *realem*. *Utrumque* admittimus. Potest enim (α) assumere corpus, immo de facto etiam id assumit. Quid ergò repugnat, quo minus dæmon cum sagis realiter congredi possit? Accedit (β) quod ipsæ Sagæ id confiteantur, non impœnitentes tantùm, sed etiam pœnitentes, & quidem liberè, non coactè. Neque tantùm sagæ, sed alii etiam, quibus larvatus dæmon illusit. Quid?, quod sæpè

subse-

ſubſecutus ſit partus. Ubi verò partus, ibi etiam congreſſus.

(3.) D. inter *corpus proprium*, & *aſſumtum*. Non in *illo*, quod non habet, ſed in *hoc* congreſſus ille peragitur,

(4.) D. inter *dæmonis congreſſum ſpectatum ratione generis humani propagandi*; & *ratione generis humani coram Deo traducendi conjugiiq; dehoneſtandi*. *Hujus*, non *illius* gratiâ coitus ille ſuſcipitur à Diabolo.

(5.) D. inter *exercitium voluptatum venerearum ratione ſui*, & *ratione alterius*. Non *ſui*, ſed *alterius* gratiâ dæmones gaudent voluptatibus, ſc. ut noceant.

(6.) D. inter *Semen nativum*, & *ſurreptitium*: *genuinum*, & *adulterinum*: *fœcundum*, & *ſterile*. Non *illud*, ſed *hoc* dæmoni competit.

(7.) D. inter *ſemen cauſarum ſociarum*, *ut animalium*; & *ſolitariarum*, *ut plantarum*. *Hoc*, cùm jam ſatis perfectè ſit elaboratum, poteſt dæmon transferre atque ita activa paſſivis applicare, ut generatio ſubſequatur; Non autem *illud promiſcuè*. *Semen* enim *cauſſarum illarum*, *vel* ab iis *legitimè* jam *eſt commiſtum*, ut ova, lendes &c. *vel* adhuc *commiſcen-*

scendum & in utero perficiendum. An ex *illo* producere possit fœtum? impossibile non videtur; an verò ex *hoc*? id est, quod nos negamus.

(8.) D. inter *calorem aliqualem*, & *sufficientem atque exquisitum*. *Illum* imitari posse dæmonem, nullum est dubium; sed de *hoc* quæstio negatur.

(9.) D. inter *veram generationem*, & *generationis imitationem*. Concedimus, Diabolum posse *generationem imitari*; dum uterum sagarum inflat, & ex semine & sanguine materno corpus elaborat, ex eoque loquitur, ubera sugit. &c. Sed quod *verum hominem generare* possit, negatur.

(10.) D. inter *corporis productionem*, quæ fit vel per *creationem* vel per *generationem*, & *hæc* dæmoni *non* competit; & inter *talem*, quæ fit *tantùm per accidentalis figuræ impressionem*, atque *hæc* diabolo tribui potest. Neq; enim est *novi corporis productio*, sed jam *producti effigiatio*, quatenus ei *accidentalem* impertit *formam extrinsecam*.

(11.) D. inter *infantes veros* atque *suppositios*: inter *hominem verum quoad internam formam*, & *quoad externam tantùm figuram*. Illo, *non hoc modo, quæstionem negamus*.

K 2.

Κατάϑεσις.

Probatur (1) Q. non est verum C. N. mistum, illi non competit generatio: atqui dæmon non est verum C. N. mistum; Ergò. *Major* fundatur in *definitione generationis*. Est enim hæc *actio C. N. misti, quâ sibi simile producit ex semine, ut perpetua Specierum conservatio constet*. *Minorem* probant *Pneumatici*, tum *quia* dæmon est *Spiritus*: at nullus Spiritus potest esse corpus; tum *quia* aliàs esset *quantus*, & sic impenetrabilis, quod absurdum; tùm *quia* aliàs esset *corruptibilis*. Nam vel *similare*, vel *dissimulare corpus* haberet. Non *illud*, quia per id tam varias operationes edere non posset; E. *hoc*; E. est corruptibilis, quod iterum absurdum. Vid. *B. D. Jac. Martin.* Cent. 4. quæst. Illustr. disp. 3. q. 4. & part. 2. Theol. Schol. contr. Becan. disp. 14. p. 304. seq. *Scheibler.* l. 2. Met. c. 4. p. 186. seq. (2.) Cuicunque non competit semen nativum, nec concessum est adhibere subreptitium fœcundum, illi non competit generatio: atqui dæmoni non competit &c. Ergò. *Major* est manifesta: quia omnis generatio fit beneficio *seminis* aut *principii cujusdam seminalis*. *Minor* probatur (α) quoad *prius*

mem-

membrum; Cuicunque non competit materia ſeminis, illi non eſt tribuendum ſemen nativum: atqui dæmoni non competit materia ſeminis; Ergò. *Propoſitio* patet, quia *negatâ causa negatur affectus*. *Aſſumtum* conſtat, quia omni omninò deſtitutus eſt *ſanguine*. *Sanguis* verò *materia* eſt, ex quâ *ſemen* generatur. Vid. *B. Sperling*. Tr. de Form. Hom. in Ut. c. 2. q. 2. p. 40. (β) quoad *poſteriorem partem*: quia *ſemen humanum* extra naturalia ſua receptacula *vim prolificam* nec retinet, nec retinere poteſt. Amittit enim *Spiritus* & *exquiſitiſſimum calorem*, etiamſi vel *leviſſima* intercedat *mora*. Adde, quod *generatio* fiat *in inſtanti*, eo ipſo momento, quo ſemen à mare excernitur & cum muliebri commiſcetur. Quod ſi verò fœcundum ſemen illud ſurreptitium eſſet, tunc ſequeretur, quod vel *anima tota*, vel *pars animæ* ipſi inſit: at neutrum eſſe poteſt. Non *illud*, quia & à matre traducitur anima; Neque *hoc*, quia anima eſt indiviſibilis; Ergò.

Ἀντίθεσις.

Eſt eorum, qui ſtatuunt, dæmonem ſuffurari ſemen, & ex eò producere hominē. Ita docent *Thomas* part. 1. q. 51. a. 2. ad 6. *Bona-*

ventura

ventura 1. p. dist. a. 3. q. 1. *Gabr.* q. 1. *Scot. Car-thus.* q. 2. *Cajet.* 2. 2. q. 95. a. 3. *Castro* l. 1. de just. hær. pun. c. 16. & *Med.* 1. 2. q. 72. a. 1. *Augustin.* l. 15. de C. D. c. 23. *Svarez.* Comm. in 1. part. Thom. part. 2. l. 4. c. 38. n. 8. p. 358. 359. *Del-rio* Tom. 1. l. 2. q. 15. *Serrar.* in Tob. 6. q. 2. 3. 4. 5. *Zanchius* de Oper. Creat. part. 1. l. 4. c. 16. §. 1. *Hemming* tr. de Mag. *Danæus* tr. de Sortiaris, *Zepperus* de leg. Mosaic. l. 4. c. 11. n. 463.

Exceptiones atq; Objectiones cum solutione.

§. I.

EXcipiunt ad primum nostrum argumentum in κατ. propositum, concedendo quidem, dæmonem *proprio* non gaudere *corpore*, sed eundem tamen *alienum* quoddam *assumere* posse, & in eo *generationis opus* perficere. Resp. (1) per dist. 1. & 9. (2) Potest *assumere corpus*, sed in eo non *generare*. Hinc à *corporis assumtione ad generationem N. V. C.* (3) *Corpus* illud *assumtum*, vel erit *humanum*, vel *non humanum*. Si *humanum*, aut *vivum*, aut *mortuum* erit. Si *mortuum*, omni *semine fœcundo* itemq; *potentiâ*, ad illud producendum

dum est destitutum, & sic cum *causa* absit *generationis*, *effectus* quoque produci nequit. Si *vivum*, *huic*, non *dæmoni principium generationis* est adscribendum. Quod si verò *corpus assumtum non est humanum*, aut *bruti* alicujus erit, aut *aliunde efformatum*. Si *prius*, brutum & dæmon generabunt hominem, quod absurdum; quia simile producit simile. Sin *posterius*, recurret de eo quæstio, an *vivum* illud sit, an *non vivum*. Si *illud*, quæritur *unde* corpus habeat vitam, an à *se*, an *ab alio*. Sed non *à se*, quia *nihil est à seipso*: neq; *ab alio*, quia dæmon per se nullum corpus vivum sentiens producere valet; Ergò erit *non vivum*. Si *hoc*, relinquitur, *non vivum* generare *vivum*, quod absurdum.

II. Excipiunt ad secundum fundamentum κατ. nostræ, Diabolum non quidem *nativo gaudere* semine, interim tamen posse *suffurari* illud ita, ut maneat *fœcundum*. Resp. per Dist. 6. (1) est *petitio principii*. Contrarium in κατασϑ. 2. probatum est. (2) Et ponatur, dæmonem *transferre* semen, non propterea *generabit*. Nam qui *emittit* semen, ille *generat*, non qui *transfert*. Vid. *B. Sperling*. Inst. Phys. l. 2. c. 4. q. 11. p. 337.

III. Ob-

III. Observat *Delrio*, quod Diabolus vel cum *iis* rem habeat, qui *ignorant* eum esse *dæmonem*; vel cum *iis*, qui id *non ignorant*. Quando cum *his* concumbit, dicit, ut plurimum exhibere *semen fictitium & frigidum*, ex quo proles nulla nascatur; quando autem cum *illis* rem habet, qui *ignorant*, tum dicit, *vel* Diabolum *intendere generationem*, *vel non intendere*. Quando *non intendit*, tunc effundit aliquid *seminis instar*, non verò *semen*; quando autem *intendit*, adhibet *verum semen surreptitium*, & tali modo nasci posse veram prolem. Resp. (1) *Petitio Principii est*, Diabolum *intendere generationem veri hominis*, concumbendo cum sagis. (2) *Petitio principii* est, Diabolum *suffurari semen*, ita ut maneat *fœcundum*. Contrarium jam supra docuimus.

IV. Objiciunt exempla ex *dæmone* & *homine* genitorum. Quales sunt *Semidei*, *Hercules*, *Sarpedones*, *Æneas*, *Merlinus*, *Hunni &c*. Omnia hæc, si non prorsus *fictitia*, *suspecta* tamen sunt. Hinc ipse *Delrio* subdubitare videtur, dum conditionatè pronunciat: *Si vera sunt*. Vid. tamen *Schottus* in Phys. Cur. p. 88. *Plutarch*. in Num. *Ulricus Molitor* c. ult. *Remigius* l. 1. dæmon. c. 6.

V. Ob-

V. Objiciunt *Confessionem Sagarum*. Resp. per Dist. I. & II. Non *generationem*, sed *congressum*; non *veram generationem* sed *generationis imitationem*; non *productionem veri hominis*, sed *erucarum*, *vermium* vel *infantum suppostitiorum*, confessio illa sagarum probat.

QVÆSTIO II.

An dæmon per infantes supposititios vitales possit edere operationes?

Neg.

Ἔκθεσις.

(1.) Dist. inter *operationes vitales*, & *non vitales*. De *illis* jam disputamus.

(2.) D. inter *operationes vitales internas* quas circa se vivens exercet; & *externas*, quæ attingunt alia corpora *externa*. Non de *his* sed *illis* jam quærimus.

(3.) D. inter *operationes vitales propriè & impropriè dictas*. Actus dæmonis per *infantes supposititios* non sunt secundum substantiam *vitalem propriè* dicti, licet illis videantur *similes*. Hinc

(4.) D. inter *aliqualem similitudinem*, & *omnimodam Identitatem*. *Illam* concedimus *hanc* negamus. *Simile* enim non est *idem*.

(5.) D

(5.) D. inter *operationes vitales in sensu physico*, & *in sensu Pneumatico*. De *his* nullum est dubium; de *illis* vero jam disputatur.

(6.) D. inter *operationes vitales quoad substantiam*, uti sunt nutritio, augmentatio &c. & *quoad modum tantùm*, ut motus progressivus, vocis formatio & similes. De utrisq; nunc solliciti sumus.

(7.) D. inter *comestionem atq; bibitionem propriam ac Physicam*; & inter *impropriam ac analogam*. *Hanc* dæmon per infantes edere potest, non *illam*, de quâ tamen quæstio est.

(8.) D. inter *comestionem veram*, & *apparentem*. Utut negemus, *comestionem* dæmonis per infantes esse *propriam ac Physicam*, ex eo tamen non statim colligenda est *manducatio apparens*. Nam *verè* & citra omnem fallaciam comedit in assumto infantis corpore dæmon, non *illusoriè*, per nudam *phantasiam* vel *apparentiam*.

(9.) D. inter *manducationem ut sic, præcisè*; & inter *manducationem talem vel talem*, sc. *Physicam*. Ad *hanc* requiritur χύλωσις seu *chylificatio*; αἱμάτωσις seu *ejusdem in sanguinem mutatio*, & ὁμοίωσις, seu *sanguinis in substantiam corporis alendi assimilatio*. Ad *illam* verò sufficit *trajectio cibi in corpus*.

V (10.) D.

(10.) D. inter *formale manducationis constituens*, & *consequens*. *Illud* est *trajectio cibi in corpus*; *hoc* verò χύλωσις αἱμάτωσις & ὁμοίωσις.

(11.) D. inter *id*, *quod fit ex necessitate*; & inter *id*, *quod fit ex arbitrii libertate*, œconomia atque dispensatione. Non *illo*, sed *hoc* modo dæmon in assumto corpore edit.

(12.) D. inter *successivam corporis assumti formationem*, & inter *Physicam augmentationem*. Quando infantes illi videntur *crescere*, tunc non *physicè augmentantur*, sed *successivè* à dæmone assistente *formantur*.

(13.) D. inter *ipsam nutritionem*, vel *concoctionem*; & inter *nutritionis* vel *concoctionis imitationem*. *Hæc*, non *illa* competit infantibus suppostitiis.

(14.) D. inter *locutionem* & *motum progressivum materialiter*, & *formaliter* considératum. *Priori*, non *posteriori* modo *cambiones* loqui & moveri possunt. Id quod tamen cum grano salis est accipiendum.

(15.) D. inter *visionem atque auditionem Physicam*, & *Pneumaticam*: *naturalem*, & *spiritualem*. *Hæc*, non *illa* dæmoni competit. Ut ut enim in infantibus suppositiis sit quædam pars habens figuram & speciem oculi

pe

per quam existimari ab aliis potest videns, & similiter possit reputari audiens per apparentes aures, nihilominus in re ipsa non fit visio vel auditio; sed angelus solo intellectu percipit, quæ verus homo videndo, vel audiendo sentiret.

(16.) D. inter *actus, qui per corpus exercentur*, ut nutritio &c. & *qui sine corpore eduntur*, ut intellectio &c. Non de *his*, sed *illis* sollicitisumus.

(17.) D. inter *organa vitalia*, & *non vitalia*. *Illa*, non *hæc* operationibus vitalibus exercendis apta atq; idonea sunt.

(18.) D. inter *aliqualem organorum configurationem*, & *sufficientem eorum dispositionem*. *Illa* quidem datur in infantibus istis, sed non sufficit ad *operationes vitales* producendas.

Κατάϑεσις

Probatur (1) Q. caret *vitâ Physica*, ille etiam *operationes Physicè vitales* exercere nequit: atqui *dæmon &c.* E. *Major*: quia *vita Physica* est *causa vitalium operationum*. Jam autem *sublata causâ, tollitur effectus*. *Minor*: quia neq; *vegetativa*, neq; *sensitiva*, neq; *intellectiva* in sensu *Physico*, dæmoni convenit. (2.) Qui destitutus est *organis* ad *vitales operationes* exercen-

ercendas idoneis; ille etiam *vitales operationes* edere nequit: atqui *dæmon in assumto infantis corpore &c. E. Major* sua luce lucet. *Minor* probatur, quia dispositio talis nusquam reperitur nisi in corpore, quod per *animam substantialiter informatur.* At verò *assumtum infantile corpus* non *substantialiter* informatur à dæmone, sed *accidentaliter* tantùm ab eo dirigitur, tanquam à *formâ assistente*, qualis nauta est in respectu ad navem. (3.) Quamcunq; actionem dæmon *extra corpus* exercere nequit, illam neq; *in* assumto infantili corpore edere potest: atqui *actiones vitales &c.* E. *Minor* constat. *Major* probatur, quia corpus illud assumtum, suppositâ *unione accidentali*, nihil cooperatur ad actus angeli, ne quidem per modum *instrumenti*, sed est merè παθητικόν. Ergò in corpore non potest dæmon actum exercere, ad quem aliàs secundum naturam suam est ineptus. Tota enim operatio dæmonis exercita in tali corpore, adæquatè vendicatur angelo. At idem est dæmon unitus corpori & recedens à corpore. Vid. *Scheibler.* Met. l. 2. c. 4. tit. 16. a. 4. n. 275. p. 223.

Arti-

Ἀντίθεσις.

Eſt (1) eorum, qui ſtatuunt, dæmonem in aſſumto corpore verè *comedere*. Quam ſententiam *Alenſi* 2. p. q. 35. in 2. *Scoto* in 2. diſt. 8. & *Gabrieli* a. 3. dub. 2. tribuit *Svarez*, comm. in 1. part. Thom. part. 2. tr. 1. l. 4. c. 38. n. 14. p. 364.

(2) Eorum, qui *motum progreſſivum propriè* à dæmone in aſſumto corpore exerceri poſſe, putant, ut *Bonav.* in 2. diſt. 8. part. 1. a. 3. q. 2.

(3) Eorum, qui dæmoni *propriam locutionem ſenſilem tribuunt*, ut *Alenſ*. 2. p. q. 35. n. 4.

Objectiones cum ſolutione.

§. I.

Q. experientia confirmat, temerè non eſt negandum: atqui infantes ſuppoſititios comedere, nutriri, augmentari, videre, audire, loqui, ambulare &c. E. Reſp. per *Diſt*. 3. 4. 7. 8. 12. 13. 14. 15.

II. Q. habet organa ad actiones vitales idonea, ille eaſdem etiam excercere poteſt: atqui dæmon in aſſumto corpore &c. Reſp. per *Diſt*. 17. 18.

III. Q. trajicit cibum in corpus, ille verè co-

rè comedit: atqui infantes supposititii &c. E. Resp. per *Dist.* 7. 8. 9. 10.

IV. Ubicunque excrementa, ibi vera nutritio, & p. c. operatio vitalis: atqui in infantibus supposititiis &c. E. Resp. per *not.* 13. 3. 4.

SECTIO III. PORISMATICA.

I. Infantes supposititii non sunt homines.

§. I.

NAm quicquid caret *animà rationali*, illud non est homo; atqui infantes supposititii carent animâ rationali; Ergo. *Major*: qnia *sublatâ formâ tollitur formatum.* Anima verò rationalis est forma hominis. *Minor*: quia ipsorum forma est *dæmon*, qui est Spiritus completus adeoque *cum materia* tanquam *forma physica* uniri nequit. Intellige verò Axioma de *homine vero*, non de *apparenter tali*: quoad *internam formam*, non quoad *externam figuram*; κατ' ἀλήθειαν, non κατὰ δόξαν.

II. In-

II. *Infantes supposititii non sunt monstra.*

SCilicet secundum *rigorem Physicum*, utut per *vulgarem loquendi modum*: non secundum *esse*, sed tantùm secundum *dici*. Nam omne *monstrum* est *effectus naturalis*: atqui *infantes supposititii* non sunt *effectus naturales*; Ergò. *Major* inde elucet, quia datur in monstris quoddam naturæ opus, licet depravatum & perfectione naturali orbatum. Habetur naturæ actio, licet vitiata. Format virtus, licet pravè formet. Adest materia, licet vitiosa. *Minor* constat: quia, ut sæpius dictum, infantes illi nihil aliud sunt, quàm *Satanæ ludibria*. Qui posuit in cœlo bellum, in Paradiso fraudem, inter primos fratres odium, & in omni opere nostro seminat zizania, is nunc ex elementis sibi adornat corpus, nunc ex mancipiis suis petit materiam domicilii sibi extruendi, quo homines eò facilius decipere atque illaqueare possit.

CAPUT IX.
DE CORNU CERVI.

CErvus *unde dictus.* Cervi *furcæ.* Figere cervos *quid.* *Synonymia.* Cervi ἔλαφος *unde.* Cornu *derivatio.* *Facies Mosis cornuta in numis. ratio. refutatur error.* *Iudicium de numis illis. Cornua Lunæ, Tauri, fluminum, navium, mensarum, tribunalium, militiæ, capillorum, Virorum, exercitus, disputationis, animalium.* *Synonymia* Cornu. *Cornu Cervi appellatio. Definitio.* *Cornua sunt partes. Sanguis multiplex.* *Causa cornu cervini efficiens. Cervorum differentiæ,* νεβροὶ, πασσαλίαι, ἀχαΐναι, δικροῖται, κλαδίαι. *Materia C. C. Forma ejusdem, & Finis.* *Cornua sunt ornamenta, & armamenta Cervi. C. C. temperamentum. Color. Sapor. Odor. Soliditas. Ramositas. An quotannis Cornua abjiciant? Dubitatur. Tempus dejectionis. Ejusdem rationes Physicæ. Cervus non devorat serpentes. Cur abjectis cornibus delitescunt? Pudor Cervorum. Cervæ cornua. Cur pleræq; cornibus careant. Cornua ramosa. C. C. vivunt. Vires C. C. in medicina C. C. in delitiis habita. Sacra Dianæ. Capreoli & aliis deciduis Cornibus.*

SECTIO I.
DOGMATICA.

§. I.

DE *cornu Cervi* dicturi, primò *nomen*, deinde

inde *rem* ipſam conſibetabimus. Hujus tractatio *Pragmatologia*; Illius *Onomatologia* vulgò dicitur. In *Onomatologia* explicabimus *Nomen* tùm *ſeparatim*, tùm *conjunctim*. *Separatim* exponendum 1. Nomen *Cervus* (α) quoad *Etymologiam*. Sic dicitur vel à *cornibus*, vel à *gerendo*. *Feſtus* deducit à κέρας: *Cervus*, inquiens, *quod* κέρατα, *id eſt*, *cornua gerat dictus*. Hinc *Homero* Cervus deſcribitur ὑψίκερως & εὐκέραος: *Oppiano* βρυθύκερως & τανύκραιρος. *Virgilio* ſurgens in cornua cervus. *Varroni* autem cervus eſt quaſi gervus. *Cervi quod magna cornua gerant*, *mutando G. in C, ut in multis*, *quaſi gervi*. *Becmanno* in Orig. L. L. placet prior *Etymologia*, quæ nobis etiam verior videtur.

§. II. (β) quoad *Homonymiam*. Sumitur autem *cervus* vel *propriè* pro *animali cornigero*, ut hoc loco; Vel *impropriè* tum pro *ſignis* ſive *imaginibus Cervorum*; tùm pro *furcis* ad ſuſtentationem caſæ fixis, & ſimilitudinem cornuum cervinorum referentibus. Sic quidam explicant illud *Virgilii* Eclog. II. *Figere cervos*. Sed minus rectè. Potiùs enim credi debet invitare Paſtor Alexin ad *voluptatem venationis*, quàm ad *laborem figendarum*

furcarum. Hinc 1. Georg. *Figere damas* idem dixit, qui locus multùm facit ad illius explicationem. *Seneca* etiam in Furen. *Tutosque fuga figere cervos.* Et in Hippollyt. *figis damas leviore manu.* Græci passim in re venatica, βάλλειν ἐλάφους cervos figere. *Propert.* Eleg. 10. lib. 1. *figere avem.* Vid. *Cerda* in h. l. sed ad *furcas* redeamus. His in *bello* etiam uti solebat ad impediendos hostium incursus. *Cæsar* Comment. VII. de Bello Gallic. LXXII. *Post eas* (fossas) *aggerem & vallum XII pedum extruxit, loricam pinnasque adjecit, grandibus cervis, eminentibusque ad commissuras pluteorum atque aggeris: qui ascensum hostium tardarent.* *Tibullus* Paneg. Messalæ vers. 82.

Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Quâ deceat tutam castris præducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos
Quemve locum ducto melius sit, claudere vallo.

Vid. *Justum Lipsium* lib. II. Poliorcet. Dial. 2. *Livius* lib. 44. *Romanus ad Clitas quas vocant, munimenta* cervis *etiam objectis, ut viam intercluderet, à Macedonico ad Toronaicum perducit.* Imitabantur autem illi *cervi* literam V. eadem figura scilicet, quâ, ut est in Catalectis:

Litera

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni.

§. III. (γ) Quoad *Synonymiam*, quæ varia est pro varietate linguarum. Hebræis enim Cervus dicitur אַיָּל. Græcis ἔλαφος. vel quasi ἐλαφρὸς à celeritate & levitate, quo pertinet illud *Virgilii:*

Ante leves ergò pascentur in æquore cervi.

vel ἀπὸ τοῦ ἕλεος & φάω quod juxta *paludes* apparet & versatur; vel ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν ὄφεις, quod *capiat serpentes*; vel ἀπὸ τοῦ ἐλᾷν ὄφεις quod *agitet* & persequatur *serpentes*, ut *Plutarcho* placet lib. de Solert. animal. Italis vocatur *Cervo*: Hispanis *Ciervo*: Gallis *cerf.* Anglis *a Harte*: Danis *Hiort*. Germanis der Hirsch quasi χερηὸς, Vid. *Martinius* in Lex. Phil.

§. IV. II. Nomen *Cornu*, de quo itidem notamus (α) *Etymologiam*; quæ vel *Veram*, vel *falsa*. *Falsa* est illa *Varronis* lib. 6. qui *cornua* à *curvore* dicta putat; Et alia *Scaligeri*, qui nomen deducit à Syriaco *Quarno*. Arab. *Karn*. *Veram* autem ab *Hebræis* petimus. Hi enim *Cornu* vocant קֶרֶן, quod per *Metaphoram* etiam de *robore* dicunt, quia *cornuta animalia* in *cornibus robur* suum habent. Derivatur inde Verbum קָרַן *splendere*, *radiare*: quod *radii* speciem *cornuum* præ se ferant. Et legitur

gitur de Moyse Exod. XXXIV, 29. qui ignorabant כיקרן עור פניו, *vulgata* reddidit, *quod cornuta esset facies sua.* Unde *Pictorum* ortus error, qui *Mosen* suis delineaturi coloribus, *binis cornibus* exornare solent, ut numus indicat antiqui toreumatis, Romæ à *Th. Bartholino* inventus, & inflexo arietis in morem cornu cum Decalogi præcepto de idololatria vitanda signatus, de quo idem *de Unicornu* cap. 6. Similis etiam meminit *Seldenus* de jure Naturali & Gentium lib. II. c. 1. & *Joh. Heinrich. Hottingerus* in dissert. de Nummis Oriental. adfixa cippis Hebraicis p. 136. Atque hæc *cornua Mosi* propterea tributa nonnulli putant, ut *Legi* per eum latæ major accederet *auctoritas*, quod apud *Henricum Salmuth* Notis ad *Guid. Panciroll.* Deperdita, reperias. Nam *cornu auctoritatis & excellentiæ nota* fertur, ut pro ipso etiam *Rege* in divino Codice I. Reg. 22. adhibeatur. Alii subtiliori genio *cornutum Mosen* Judæis apparuisse putarunt, quoniam Lysimachi Regis more *concinnos* gestavit *capillos*, quibus & olim usi Armeniæ Sacerdotes. Vid. *Bartholin.* de Luc. Animal. cap. 11. l. 1. Verum ejusmodi de Mose conjecturas *sacer textus* pressius inspectus,

& me-

& meliores *interpretes* de facili difflant. Sine cornibus enim fuisse Legislatorem, extra dubitationis est aleam, quæ si *auctoritatis* gratia accepisset, frustra *velamine abscondisset iis*, quibus forent monstranda, parumq; modestè Jehovæ remoto velo ostentasset. Verosimilius enim videtur, *crines* fuisse *lumine interspersos*, & *cornua* nihil nisi *summi splendoris radios* ex facie emicantes significasse, quibus astantium oculi perstringebantur. Apud Hebræorum quippe gentem Cornu & Radius pari passu ambulant, quoniam vocabulum קָרַן per זהר *splenduit* exponunt, & *R. Kimchi* idem קרן à *cornu* derivat. *R. Salomon* verò per *radios* Hebræam Originem exponens, vocat קַרְנֵי חהוף *cornua Magnificentiæ*. Cui conformis est *Chaldæa* versio, quæ *gloriam* posuit *faciei*, ad aliorum Scripturæ locorum imitationem. Alibi enim קֶרֶן *gloriam* notat & *decus*, quod ex *lumine* elucet, ut Job. 16. v. 15. Nec diversa habent LXX quorum verba hæc sunt: ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *quod gloriosè splendeat adspectus cutis s. coloris facies ejus.* Numi verò illi, quorum modò mentio facta, se ipsi reddunt suspectos valdè. Nam à *Seleuco* exhibitus, *caput cornibus*

bus planè destitutum, præ se fert, solùm *capillatum & crispum*: *Hottingerianus*. *Cornua* habet, sed *Arietina*, *auribus tenus circumflexa*, qualibus insignibus *Alexander M.* in Numis ære incisis repræsentatur. Quam Dn. D. *Gejer*, Serenisſ. Elect. Saxon. Concionator Aulicus supremus, possidere dicitur, is *faciem Mosis barbatam*, *caput capillatum & crispum*, ita tamen, ut in fronte è capillis *cornua recta antrorsum* protendantur, demonstrat. Adeò primùm in *cornuum* non conveniunt *figurâ*. Posteà barbara *inscriptionis* distinctio omnem *Antiquitatis* fidem eis adimit. *Hebræi* namque voces versus extremas non ita dirimunt, uti *Græci*, *Romani* aliique facere consveverunt; sed spatium, quod in linea finienda restat, istis vel dilatatis literis complent, vel dictionis, quæ sequitur, initiales literas, unam vel plures sine punctis superfluè ponunt, integrâ voce ad sequentem versum reservata. Contra hanc verò notam insigniter peccare fertur horum numorum inscriptio. Prætereà ob *Crucis* imaginem, quam in Collari expressam Numus *Seldeni* exhibet, vix structura ejus verè *Judæis* attribui potest. Quam enim nefarius erga

san-

sanctam *crucem* ipsis sit animus, notum atq; apud omnes pervulgatum est. Vide *Genebrardum* ad Psal. LXXIIX, 47. Nec ipsi *figuram hominis*, in numo vel alia materiâ *eminentem* efformare audent. Secus violaretur. Unde quadragesimum inter 613 ex Lege à Rabinis extructâ, præceptum, cujus sententia est: *Non esse faciendam imaginem hominis, ex quacunque re, metallis, ligno, lapide aut aliis id genus, ne quidem ad ornatum*, sicuti dicitur: *Ne faciatis mecum Deos argenteos* Exod. XX, 23. Sed quo prolabimur? Redimus ad id, unde aberravimus & de *cornu* prætereà addimus.

§. V. (2) *Homonymiam*, secundum quam *cornu* accipitur vel *propriè* vel *impropriè*. Hoc sensu usurpatur iterum vel *Astronomicè*, ttibuiturque partim *stellæ erraticæ*, nempè *Lunæ*, de qua *Virgil.* 3. Æneid.

Tertia jam Lunæ se cornua lumina complent.

Et *Ovidius* I. Metam 3.

--- --- *Reparat nova cornua Phœbe.*

partim *fixis* quibusdam in *Tauri* signo, quas *Virgil.* aurata *Tauri cornua* vocat, dum I. Georg. v. 218. canit:

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus --- ---

Et

Et *Seneca* Oepido: *Aureo Taurus rutilante cornu.*

Vel *Geographicè*, pro *flexibus* & *brachiis fluminum.* Sic *Cicero* Att. l. 9. *Ab utroq; portus cornu moles jacimus. Ovidius.* Metam.

--- *Angustis inclusum cornibus aequor.*

Et *Valerius* lib. 1. Argon. *Elatis cornibus amnes.* Vel *Mechanicè*, pro rebus *arte factis*, & *cornu in morem flexis*, ut ap. *Virgil.* 3. Æneid. v. 549.

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Ubi *cornua* ſunt *extremitates incurvae.* Similiter & *mensae* hemicycli formâ, quæ & *sigma* dicebatur, extremitates vocantur *cornua Sidonio* lib. 1. Ep. XI. quemadmodum *Tacitus* quoque *tribunalia cornua* eandem dixit ob cauſam, I. Annal. cap. LXXV. Et *Vegetius* inter *militaria signa cornu* refert, quod ex uris agreſtibus, argento nexum, temperato arte ſpiritu, quem canentis flatus emittit, auditur, Lib. 3. de re milit. cap. 5. p. 67. De eodem *Virgil.* 8. Æneid. v. 1. 2.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu.

Et *Livius* lib. 30. *Tubae cornuaq; ab Romanis cecinerunt.* Vide *Cerdam* in Virgil. l. a. p. 147. Præter hæc *lucernae* quoque *cornua* appellantur,

ur, per *Metonymiam* Materiæ pro Materiato. Sic *Plautus* Amph. *Vulcanum in cornu conclusum geris.* Pertinent huc *capilli* in cornuum formam intorti, de quibus *Juvenal.* Sat. XIII.

Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentis cornua cirro?

Tales novæ nuptæ nuptiarum celebritate Venetiis gestant, & de omnibus felicis Arabiæ incolis in descriptione Urbis Romæ refert *Ludovicus Vartbema.* Scribit, quoque ex sententia Græcorum Grammaticorum *Cœlius Rhodiginus* l. 30. c. 1. *cornua* pro *capillis* fuisse posita, quia utrumq; eodẽ modo enacatur. Vel *Ethicè* pro *adulterio.* Sic *cornua Viris Uxores* dicuntur hodiè *facere*, quæ impudicæ sunt & adulterantur: quam proverbialem formulam apud veteres perinde usitatam fuisse *Artemidorus* testimonio est lib. 1. Oneirocrit. cap. XII. Vide & *Nicetam* II. Annal. p. 160. extr. itemque *Gruterum* lib. VIII. Suspicon. cap. X. Vel *Politicè* & quidem *Polemicè* cùm pro *parte exercitus.* In exercitu enim est *dextrum* & *sinistrum cornu*: & quod inter utrumque est, dicitur *medium. Terent.* in Eunuch. *Cœlius* For. Roman. p. 785. tùm pro *vi* & *viribus.* Hinc *cornua in aliquem vertere.*

tere, *Plautus* in Pſeud. dixit pro *impugnare*.
Et *Horat.* Epod. VI.

Namq; in malos aſperrimus
Parata tollo cornua.

Idem lib. 3. Od. 21. de Vino:

Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Viresq;, & addis cornua pauperi.

Vel *Logicè*, pro firmiſſimis argumentis, quæ *Cicero* vocat *cornua*, *Commovere cornua diſputationis*, ſcribit 2. de Divinat. Atque hæ ſignificationes omnes ſunt *impropriæ*. *Propriè* verò *cornua* ad *animalia* referuntur, ſuntque omnibus ferè *cava* & in *mucrone* demum *concreta*: *Cervis* tantum *ſolida* & *decidua* eſſe dicuntur, de quibus deinceps plura, ſi prius addiderimus

§. VI. (3) *Synonymiam*. Hebræi enim cornu appellant קֶרֶן Syri *Cquarno*, Græci *κέρας*, Galli *Corne*, Hiſpani *Cuerno*, Itali *Corno*, Angli *An horne*, Germani ein Horn. Atque ſic ſingula vocabula ſeorſum expoſuimus.

§. VII. Nunc *conjunctim* *Cornu Cervi* conſiderabimus, quod ita dicitur (1) ratione *efficientiæ*, quia efficitur à *Cervo*. (2) ratione *inhærentiæ* vel potius *adhærentiæ*, quia *adhæret* cuti cervinæ & geſtatur roboris & decoris

gratia (3) ratione *differentiæ*: quia hac determinatione addita differt à cæterorum brutorum cornibus, piscium videlicet, avium, insectorum atque quadrupedum. Sed de *Etymologia* satis.

§. VIII. Ad *Pragmatologiam* accedimus, ipsam *cornu cervini* naturam contemplaturi, tum quoad *essentialia*, tum quoad *accidentalia*. Illa explicantur partim *definitione*, partim *caussarum expositione*. *Definitio* vel descriptio potius hæc est: *Cornu cervinum est pars cervi, è capite prominens, oblonga, solida & ramosa, ab ejusdem anima, ex lentoso humore formata, roboris & ornamenti gratiâ.* Genus *Pars* est: quia cornu ad integritatem Cervi requiritur, & habet in se succum, habet spiritum ac vitam. Prætereà nutritur verè, augetur verè; corporique ornamento est & emolumento maximo. Quamobrem audiendi minimè sunt, qui cornua, ut pilos & ungues, ex *partium* numero excludunt, & nescio quibus aliis annumerant præter necessitatem. Afferunt quidem nonnullas rationes, sed non satis validas, & falsis plerumque hypothesibus innitentes. Princeps & palmaria ferè hæc est, quam *Joh. Andr. Graba* in Ela-

phograph. Sect. III. cap. 1. p. 85. habet sequentibus verbis: *Partes si essent cornua, utique ad spermatica pertinerent. Sanguineas enim esse nemo dixerit, quia sunt frigida, sicca, dura, compacta, albicantia. Sanguineæ autem partes contrario modo se habent. Nec verò in albo spermaticarum partium reponi queunt, quia illa formantur in utero: cornua autem extra uterum, bimis demum & annosis ex materia quâdam superflua singulari ferè humorum parte generantur. Posthæc spermaticæ partes omnes certum habent augmentationis terminum, quem cùm adeptæ sint, crescere desinunt, neque juxta Hipp. 6. Aphoris. 19. semel demtæ amplius (ternâ dimensione) renascuntur & augentur, sed saltem loco ablatæ partis ob spermaticæ materiæ defectum aliquid formâ & materiâ dispari à primævâ parte nascitur. At cornua instar unguium, pilorum, pinguedinis ac medullæ ferè perpetuò regenerantur formâ & materia simili &c.* Verum nulla Majoris consequentia. Neque enim sequitur: *Si cornua essent partes, utiq; ad spermaticas pertinerent.* Cur non ad *sanguineas?* Dicit: *Cornua* sunt *frigida, sicca, dura, compacta: Sanguineæ autem partes contrario modo se habent.* Argumentum inde nasceretur tale: Quic-

le: Quicquid ſanguineum eſt, illud non eſt frigidum, ſiccum, durum, compactum: Atqui cornua ſunt frigida, ſicca, dura, compacta; Ergò cornua non ſunt ſanguinea. Reſpondemus ad *Majorem*, æquivocationem eſſe in *ſubjecto*. *Sanguis* enim non unus & idem eſt, ſed *quadruplex* potiſſimum datur, nimirum *ſanguis in ſpecie* dictus, qui humidus & calidus eſt, dulcis, rubicundus, ex partibus Chyli temperatioribus formatus, & alendis partibus temperatis aptus. *Sanguis bilioſus*, qui calidus & ſiccus eſt, è partibus Chyli calidioribus & tenuioribus formatus, atque alendis partibus tenuioribus aptus. *Sanguis pituitoſus*, qui frigidus & humidus eſt, è frigidiore Chyli parte genitus, alendis partibus frigidioribus & humidioribus aptus. *Sanguis melancholicus*, qui frigidus & ſiccus eſt, è frigidiore & fæculentiore Chyli parte factus, alendis partibus frigidioribus & ſiccioribus dicatus. Addo verba B. *Sennerti* Epit. Scient. Nat. l. 8. cap. 2. p. 677. *Sanguis, qui in corpus totum ad illud alendum distribuitur, etſi unicâ formâ contineatur, & totus alendo corpori utilis ſit: ejus tamen partes non ſunt planè ſimiles, ſed aliæ temperatæ, quæ in ſpecie*

sanguis appellantur, *aliæ calidiores & sicciores*, *quæ sanguis biliosus*; *aliæ frigidiores & humidiores*, *quæ sanguis pituitosus*; *aliæ frigidiores & sicciores*, *quæ sanguis melancholicus*; *vulgò autem bilis*, *pituita*, *melancholia nominantur*. Quotuplex igitur *sanguis*, totuplex etiam *sanguinei* significatio est: Atqui ille *quadruplex* est; Ergò & *sanguinei* significatio *quadruplex* erit. Hinc limitanda *Major*: Quicquid *sanguineum* scil. *specialiter* loquendo, illud non est frigidum & siccum &c. atqui cornua sunt frigida & sicca; Ergo non sunt sanguinea, scil. *specialiter* loquendo. Et sic conceditur totum Argumentum. Sed ab exclusione *unius* modi ad exclusionem *alterius* N.V.C. Licet enim ex *sanguine specialiter* sic dicto non formentur cornua; adest tamen alius, qui materiam ipsis suppeditare potest. Qualis verò ille sit, ex *temperamento* cornuum judicandum. Ac cùm cervinum cornu *mixtæ* sit *naturæ*, secundum *Grabam* l. a. p. 102. *temperatum* scil. *modicè refrigerans & siccans*; ex tali etiam sanguine productum sit necessè est. *Effectus* enim *testatur de sua caussâ*.

§. IX. *Differentia* definitionis petita est à *caussis & attributis*, videlicet (1) à *caussa efficiente*

ciente proxima, anima cervi, (2) à *materia*, sanguine craſſiori, (3) à *forma accidentali*, eminentia è capite, & ramoſitate, (4) à *fine*, robore & ornamento, (5) ab *attributis*, longitudine & ſoliditate, de quibus in ſequentibus theſibus plura.

§. X. Ac primùm quidem *cauſſa efficiens* eſt vel *principalis*, vel *Inſtrumentalis*. *Principalis* vel *remota* eſt, vel *proxima*. *Remota* iterum eſt vel *prima*, vel *ſecunda*. *Prima* eſt Deus, *ſecunda* Sol & reliquæ ſtellæ, ad omnium rerū generationes concurrentes. *Proxima* verò *anima cervi* eſt, ſine qua cervus nihil efficere poteſt: *Inſtrumentalis* partim *calor* eſt, partim *facultas expultrix*, partim *ſal balſamicus*. *Ille* materiam coquit, præparat, aptamque reddit: *Iſta* eandem ad cutem perforatam propellit, & in longitudinem extendit: *Hic* verò protruſam & extenſam conſtringit atque condenſat. At hæc omnia non uno tantùm die, aut menſe, nec uno forſan anno, ſed longiori temporis ſpatio fieri atque perfici credendum eſt. *Primo* enim *anno* cervi ſunt νεβροί, *hinnuli*, quibus rudimenta tantùm cornuum prominent, impares quippe amplioribus gerendis. *Secundo* anno Dicun-

tur (a) *παττάλίαι* à *πάτταλος clavus ligneus, paxillus*, quod est à Dor. *πάσσω* pro *πήσσω figo, configo*; idque propterea, quia tunc *recta* illis simpliciaque *cornua*, instar *clavorum*, enascuntur, *Aristot.* l. 9. Anim. cap. 5. (b) *ἀχαῖναι*, non, ut ex *Oppiano Schrevelius* docet, ab Achainea Urbe; Sed uti ex *Salmasio* Exerc. Plin. p. 222. *Vossius* Theol. Gentil. p. 1036. ostendit, quia *ἀχαιὰ* sint *ἔρια μαλακὰ* lanæ molles. (c) *σπαθῖναι ἀπὸ τῆς σπάθης*, quo significatur *rudis*, *rudicula*, *spatha*, *gladius*, *instrumentum textorium*, *lanâ involutum*: quia cornua *lanam* propè *mollitie* referunt. *Tertio* anno audiunt *δικερῖται*, quia tum cornua in *furcam* exeunt. *Quarto* anno nomen illis *κλαδίαι*, à *κλάδος ramus*, quia tum cornua *ramos* accipiunt. *Quinto* anno crassitiem aliquam adipiscuntur. *Sexto* demum anno debitâ suâ gaudent perfectione, & dicuntur *κέρασται*.

§. XI. *Materia* sequitur, de quâ non convenit inter Physicos. *Sennertus* Tom. I. instit. l. 3. part. I. Sect. 2, cap. 3. f. 457. Cornua generari docet ex *materiâ quadam superflua, crassiori & ferè excrementitia*, quæ, ut optima sangvinis pars, aliis partibus alendis

hand

haud conveniat, *Hippocrates* de Natura pueri f. 240. & lib. de Carn. f. 251. Materiam cornuum putat esse *humidum, glutinosum, à calore siccatùm & arefactum*, ad extremas partes dimissum. *Aristot.* de Gener. Animal. c. 6. ungues, adeoq; etiam cornua ex *cibo* gigni *adventitio* statuit; per quem *Beckberus* in Microcosmo suo Medico l. 1. c. 2. p. 6. b. intelligit *abundantem sangvinem* residuumq; à nutritione reliquarum partium principaliùm nutrimentum. *Mœbius* de fundament. Medicinæ c. 11. fol. 171. it. c. 18. f. 314. caussam omnem in *salem ventriculi fermentalem* confert, quo cervus præ omnibus animalibus abundat. *Graba* l. a. p. 91. cornua non tantum putat esse *opus facultatis expultricis & caloris ei ministrantis excrementa fuliginosa*, Sed ea ex *singulari humorum parte, vel succo non planè excrementitio, & sale suo, ceu principio coagulationis & naturæ balsamo, imprægnato, à facultate formatrice seu cornifica, ad primævum Dei ordinantis ac jubentis imperium per Architectonicum spiritum calore adjuvante produci.* Conf. *Anselm. Bœt. de Boot.* Histor. Gemm. & lap. l. 1. c. 11. p. 37. & l. 2. c. 302. p. 544. Nobis *hæc* de *materia* videntur asse-

renda. *Materia* cornu ceruini alia eſt *generationis*, alia *conſtitutionis*. *Hæc* eſt ſubſtantia illa oſſea, dura, beneficio ſalis balſamici coagulata, miriſq; virtutibus prædita. *Illa* eſt vel *remota*, vel *proxima*. Materia *remota* eſt vel *prima*, vel *ſecunda*. *Prima* eſt vel *abſolutè*, vel *ſecundum quid* talis. *Abſolutè prima* ſunt quatuor *Elementa*, & tria *principia Chymica*, in quibus *ſal* primas tenet. Ex iſtis enim omnia corpora naturalia miſta produci, inter omnes conſtat. *Secundum quid prima* eſt *cibus* ſeu *nutrimentum cervi*, quod in ventriculo concoquitur, & à nativo calore in totum corpus ejuſq; partes diſtrahitur, & in craſſum ſangvinem convertitur. Atque hic *craſſus ſangvis* eſt *materia ſecunda*. *Proxima* verò eſt *lentoſus humor*, qui ſeparatur à ſanguine illo, & per venam Cephalicam emittitur.

§. XII. *Materiam* excipit *Forma*, quæ vel *eſſentialis* vel *accidentalis*. Illa vel *Metaphyſica*, vel *Phyſica*. *Metaphyſica* tota cornu cervini natura eſt, quam *corneitatem* cervinam appellarem, ſi ὀνοματοποιεῖν liceret. *Phyſica* autem altera ejus pars eſſentialis eſt, quæ dat eſſe, diſtingui & operari, proprioq; nomine

mine à nobis designari nequit. De hâc illud subtilissimi *Scaligeri* valet: *Nomina tu lapidis, qui quotidiè tuis oculis obversatur, formam: & Phyllida solus habeto. Nego tibi, ullam esse formam nobis notam plenè & planè nostramq; scientiam esse umbram in sole. Formarum cognitio est rudis, confusa, nec nisi per* περιστάσεις. *Neq; verum est, formæ substantialis speciem recipi in intellectu. Non enim in sensu unquam fuit. Accidentia* itaq; *formæ* loco nobis sunt: videlicet, *eminentia è capite*, *longitudo*, *ramositas* & alia, de quibus suo loco.

§ XIII. *Finis* restat, qui vel *universalis*, vel *Particularis*. *Universalis* est vel *absolutè* talis, vel *respectivè*. *Absolute universalis* est, cujus gratia totum mundi systema à Deo creatum, hucusq; conservatum & porrò conservandum est. Talis est *gloria Dei*. Omnia enim propter unum illud ens sunt, quod non est propter aliud, præter se. *Respectivè universalis*, cujus usui totus mundus cum omnibus suis partibus inservit, est *homo*, mundi epitome, & Naturæ deliciæ. *Particularis* verò, ad quem cornu cervinum è naturæ præscripto tendit, dubius & controversus est. *Plinius*. lib. II. cap. 37. *pulcbritudinis* præcipuè

gratia

gratia cervis cornua data esse putat. Quem sequitur *Oppianus* lib. 2. de venat. vers. 183. seq. & lib. 3. κυνηγετικῶν vers. 177. seq. ubi *pulchritudinem* cervi constituit in capite arduo, oculis grandibus, pingui pictoq; tergo, ac imprimis *cornibus*, de quibus vers. 194.

ὀξύκομον κεράων πολυδαίδαλον αἰόλον ἔρνος.

Acutum cornuum, affabre factum, variumq; ramale.

Voßius l. a. partim ob *ornamentum*, partim ob *robur* cornua esse cervis data asserit. *Liquere arbitror*, inquit, *non solùm pulchritudinis caussa, sed etiam roboris, ea cervis esse à Deo tributa.* Idem docet *Cardanus* de Subtil. l. 10. p. 565. & *Sperling*. Zool. Phys. part. special. Et rectè quidem, meo judicio. Præcipua enim cervorum vis in cornibus consistit, quod inde videre licet, quia sub decimum octavum Kal. Octobris libidinari incipientes, adeò sæviunt, ut obvios quosque nisi fuga sibi consuluerint, cornibus petant atq; occidant. Testatur idem *Budæus* l. 2. de Philol. p. 81. Testatur *Franciscus Junius* apud *Voßium*, testantur Venatores viatoresque passim. Hinc *Martial.* lib. 13. Epigr. 94.

- - *Defendunt cornua cervum.*

Deinde

Deinde hoc quoque argumento est, quod *abjectis cornibus abscondere* se cervi soleant, vel inaccessa loca petere, & nonnisi noctu pascua quærere, sentientes sine dubio, se inermes viribusq; esse impares. Ubi verò rursus crevisse sibi cornua advertunt, Soli eadem exponunt siccanda atq; induranda, & postea illorum robur ad arborem experiuntur, nec prius in publicum prodeunt, quàm iis satis firmatis. Quæ omnia non obscurè testantur, quo fine cervos armarit cornibus sapientissima mater, Natura: *Ornatûs* videlicet & armatûs gratia. Et hactenus de *Causis*.

§. XIV. Venimus ad *accidentia* cornu cervini, quæ varia sunt; Imprimis notanda occurrunt sequentia: (1) TEMPERAMENTUM; quod *Simeon Sethi* apud *Aldrovandum* de Quadrup. Bisulc. l. 1. p. 848. *frigidum* & *siccum* esse tradit. *Graba.* l. a. p. 102. *mixtæ* esse naturæ statuit, *temperatum* scilicet, modicè refrigerans & siccans, attenuans & detergens, resolvens & incrassans, diureticum item, seu urinam movens, menses sistens, & lumbricos enecans.

§. XV.

§. XV. (2) COLOR, qui idem ſemper non eſt. *Anniculis* quippe in tenellis typhis, *rubens* & *ſanguineus* eſt, *annoſis* verò in ſuperficie extrinſecus, *puniceus*, aut ex fuſco pallens & nigricans, juxta cuſpidem albeſcens: intrinſecus autem *gryſeus* & partim *ater*, partim *albus* vel *mixtus* eſt.

§. XVI. (3) SAPOR, qui in *crudo* cornu *dulciculus* eſt, ob *pinguem*, quâ præditum eſt, ſubſtantiam: hinc *lenit*, *mollit*, & *laxat* magis; in *præparato* verò & *uſto* adſtrictorius & *ſalſus* eſt, ob terreſtrem & *ſalinam*, quam habet, naturam, hinc *ſiccat* magis, *obſtruit* & *reſolvit*. Vide *Sennert.* Tom. 1. Epit. Scient. Nat. lib. 7. cap. 5. f. 110. & Tom. 3. de Conſ. ac Diſſ. c. 16. f. 809. *Greg. Horſtius* Tom. 1. Inſtitut. Medic. Diſp. 3. Coron. 2. Exercit. 7. f. 193. it. Diſp. 20. Coron. 7. Exerc. 1. 380.

§. XVII. (4) ODOR, qui in *crudo ingratus* & *δυσώδης* eſt; In *uſto* verò & præparatô ſaporis qualitatem redolet. Vid. *Schröder.* Phyſ. l. 1. c. 34. *Graba* Elaph. p. 98. 99.

§. XVIII. (5) SOLIDITAS, quæ tanta in cornibus illis eſt, ut duritie ſua ad *lapideam* naturam accedat. Sic *Orpheus* in libr. de lapid.

Φύει

---- Φύσει γε μὲν οὐ ποτὶ κόρσην
Πέτρη, ἀλλ' ἔμπης πέλεται κερατιερῆ τε γε πέτρη
οὐδέ κεν ἂν γνοίης κέρας ἀτρεκὲς, ἢ λίθος ἐστὶ,
Πρὶν κέ μὴν ἀμφαφόων εὕρῃς νημερτέα λᾶαν.

§. XIX. (6) RAMOSITAS. Sunt enim efformata instar *ramorum*, qui arboribus propriè competunt. *Plinius* lib. XI. c. 37. *Lusit natura animalium armis: sparsit hæc ramos, ut cervorum* &c. Et lib. 8. c. 32. de cornibus cervorum loquens ait: *Indicia quoque ætatis in illis gerunt, singulis annis adjicientibus ramos.* Oppianus l. a. Cervinum cornu propterea vocat ἔρνος, *germen*, *ramale*. Aristot. l. 3. Histor. c. 9. dicit κέρατα πολυσχιδῆ. Et *Virgil.* 7. Eclog. nominat *ramosa vivacis cornua cervi.* sed de *perfectis* loquimur. Quot verò ramos cornua cervina habeant, utrum *sex* tantum an plures? Num etiam ætas cervi ex ramorum numero colligi possit? de iis in quæstionibus agemus.

SECTIO

SECTIO II.
EROTEMATICA
QVÆSTIO I.
An Cervi quotannis cornua sua abjiciant?

AFfirmant *Aristoteles* Hist. Animal. *Plinius* H. N. *Theophrastus*, *Ælianus* l. 12. de Animal. *Democritus*, *Budæus*, *Landus Placentinus* l. 1. de Hist. Animal. *Aldrov.* c. 27. l. 1. de Qv. Bisulc. p. 729. *Franzius* Hist. Animal. c. 14. p. 159. *Sperlingius* Zool. Phys. *Job. Andr. Graba* Elaph. p. 33. *Zwelfferus* in Pharmacop. Aug. Reform. animadvers. super C. C. p. 462. *Schrod.* in Pharm. Medico-Chym. de Zool. f. 281. &c. Negat autem *Vossius* Theol. Gentil. l. 3. c. 57. p. 1039. hic verbis: *Alioqui magis eò inclinet animus, ut credam, cornua quæ reperiuntur, non sponte & naturâ decidisse, sed à venatoribus vi evulsa, eoq; esse conjecta. Illa verò ramosa, quæ in priorum locum successerint, non nisi annorum aliquot intervallo, ad eam magnitudinem & duritiem pervenisse.* Idem statuere videtur *Sachsius* Gammarol. p. 468. Et parum abest, quin nostrum etiam hi

his addamus calculum. Distinguimus verò (1) inter *cervos integros*, & *castratos*. *Hos* cornua non deponere, scimus. Sed de *illis* quæstio est. (2) dist. inter *totam cervorum speciem*, & *nonnulla tantùm individua*. Non *hæc*, sed *illam* intelligimus. (3) inter *abjectionem cornuum indeterminatam*, & *determinatam s. anniversariam*. Non dubitamus de eo, *an abjiciant cornua*? sed *an singulis annis abjiciant cornua*? Hoc enim nullo adhuc experimento satis firmo comprobatum est. Sola testimonia adsunt humana, quibus vulgò fidem habent, sed temerè. Multa enim à multis sæpè dicuntur, quæ tamen non sunt. Hinc qui facilè credit, facilè quoque decipitur. Nobis ea plerumque suspecta videntur, quæ vulgus asserit: Propterea, quia alius semper sequitur alium, nec quisquam ferè de natura ipsa solicitus est. Neque tamen prorsus rejiciemus veteres: quin multum iis tribuimus, sed exploratis antea atque cum veritate ipsa collatis. Adde, quod anno quolibet primi sexennii aliquid accedere ramis vulgò statuant. Hoc si verum est, quomodo, quæso, decident & renascentur quotannis? Quomodò etiam brevi adeò tempore tam solida duraq;

duraq; tantæ molis cornua enaſci poſſunt. Sed ad alia.

QUÆSTIO II.

Quo tempore cornua decidere vulgò credant?

Z*Welfferus* l. a. Menſe *Februario* id fieri putat. *Ariſtoteles* verò Hiſt. Animal. l. c. 11. *Plinius*, *Theophraſtus*, *Aldrovandus* lib. *Biſ.* c. 27. p. 778. *Matthiolus* in Dioſcor. l. 2. p. 194. *Biſciola* T. 11. Hor. ſucciſ. l. 1. c. 20. *Franzius* H. A. p. 159. c. 14. *Schröderus*, & alii tempore *verno* id accidere exiſtimant, & quidem menſe *Aprili*, propterea quod tunc omnia renoventur, arbores, ſerpentes, cancri & alia, nec ullum, præter hoc, tempus commodius videatur. Conf. *Baſſianus*, *Landus Placentinus* l. 1. de Hiſt. Animal.

QUÆSTIO III.

Cur cervi cornua nonnunquam deponant?

Æ*Lianus* à tenuitate *membranarum* & calore *ventris* id oriri putat, his enim exareſcere imas cornuum partes. *Voſſius* Theol. Gentil. p. 1036. dicit, cornua cervorum

rum

um, non uti cornutis cæteris, *continua* esse ossi cranii, sed cuti duntaxat *adhærere*: Præterea cornua hæc prius æstivo calore exsiccari; hinc frigore condensari hiberno, ita ut exiguus omninò liquor, nec is lentus satis, in ea ob poros penetret stipatos. Decidere ergò cornua putat, uti ab arboribus folia, *ob glutinosi humoris defectum*. Eoque facilius cadere, quia, paullatim adveniente veris calore, intus protuberet novorum cornuum materies, quæ cornua vetera protrudat, donec malè nexa prorsùs decidant. *Franzius* H. A. c. 14. p. 159. eam esse depositionis causam tradit, quod cornua sint *terrea* & *sicca*, nec adnascantur cranio, sed cuti tantum adhæreant. *Helmont.* de Lithias. c. 1. §. 13. aliam affert causam, sc. quod cornua ista partim de materia sint *ossea*, partim *lignea*, & propterea *spinas* & *ramos* imitari, & annuatim decidere ob *proprietatem frondium & partis ligneæ* retentam. *Zwelffer.* Pharm. Ref. p. 462. ob *nimiam duritiem* opinatur cornua à cervis deponi, quæ prohibeat, quo minus pro alimento ipsorum copiosè affluens sanguis dispersi queat; ex sanguine igitur circa brumam collecto vermiculos tractu temporis enasci,

qui rodendo pruritum excitent, quamob-
rem cervi concitati cornu arboribus affri-
cent, donec decidat prorſus. *Sperling*. Zool.
Phyſ. p. 221. ideò dejici cornua putat, *ne oneri
ſint*. Interdum etiam ramis arborum impli-
cari & *vi avelli*. Sed antequam cadant, nova
prius ſubnaſci cornicula. *Joh. Andr. Graba*
l. a. p. 34. rem ita explicat: *Quando ob nimi-
am cornuum contractam duritiem, modo conſue-
to copiosè affluens ſanguis pro alimento ipſorum
ulterius diſpergi minus poßit, hinc demum fieri
aſſolet, ut idem ſanguis circa bregma ſe ſiſtat, at-
que putredinem quaſi concipiat; Unde tractu
temporis, vermiculi poſteà generantur, qui radi-
ces cornuum continuo rodendo, ipſaque quodam-
modo à bregmate ſeparando pruritum excitant ac
titillationem, quâ cervi concitati & ſuper hac mo-
leſtia indignati cornua arboribus affricant, &
ita contiuno iſto affrictu decidere faciunt: In-
terdum etiam ramis arborum implicati vi avel-
lunt*. Alii, teſte *Sachſio* Gammarol. p. 462.
hujus depoſitionis vim à *comeſtione ſerpentem*
eſſe putant. Quemadmodum enim ſerpen-
tes Canauheoal apud Indos in herbis ſeſe oc-
cultantes, cervos vi anhelitus attrahere &
devorare, autore *Nierembergio* l. XII. H. N.

c. 17. &

c. 17. & aliæ in Libyâ cervos deprædari soleant, referente *Oppiano* lib. II. Cyn. v. 253. Sic cervos etiam, è latibulis ajunt extrahere serpentes, extractos pedibus conculcare, conculcatos dilacerare, dilaceratosque devorare, ut juvenescant & vegetiores evadant. Hinc *Martialis:*

Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem.

Et ante eum *Lucretius*:

Naribus alipedes ut cervi sæpè putantur
Ducere de latebris serpentia secla ferarum.

Vid. *Oppian.* l. 2. Cyn. vers. 233. seq. & Hal. l. 2. v. 289. *Plinius* lib. VIII. c. 32. *Bauhinus* de lap. Bez. c. 7. pag. 37. atque ita ajunt vulgò. Sed rem non nisi in libris visam memorant. Non vescitur carne cervus, neque serpentis, neq; piscis, neque bovis. Abundant cervis Regiones nostræ, neque serpentes nobis desunt. Extractio ista à nemine hactenus observata est. Neque extractionis ratio explicari potest. Cervi spiritus invitum atque renitentem serpentem nunquam traxerit. Et cur non canis, Lupus aut equus præstarent idem, *Sperling.* Zool. Phys. l. 3. c. 12. p. 218. Quambrem, hâc rejecta, priores retinere præstat rationes, cervum videlicet ideò deponere

 sua

ſua cornua (1) *quia* hæc calore æſtivo ſiccantur, & hiberno frigore condenſantur nimis, ita ut exiguus omninò liquor, nec is lentus ſatis, in ea ob poros penetret ſtipatos. Hinc (2) *quia* influens deficit materia, glutinoſus ſcilicet humor, delabi quoque cornua oportet. Deficiente enim illo, corrumpitur & diſſolvitur vinculum, quod cornua retinuit. Atque ſic arboribus quoque folia decidunt. (3) *quia* cornua cervorum, non, ut cornutis cæteris, continua ſunt oſſi cranii, ſed cuti duntaxat adhærent, hinc ramis arborum implicata, avelli facilius poſſunt. (4) *Quia* vermiculi nonnunquam radices cornuum corrodunt. Tales in capite cervi circa vertebram, ubi caput cervici nectitur, obſervarunt *Ariſtot.* lib. 2. Hiſt. An. c. 15. *Plinius* l. 9. c. 37. viditque *Conradus Heresbachius* in Comp. Therap. in exenterati, menſe Majo, cervi ſuccißis cornibus apertum cranium pollicaribus ſcatere vermiculis, capite rubeo, cætera albicantibus. (5) *quia* paullatim veris adveniente calore, novorum cornuum prodita materies, quæ vetera protrudit, donec malè nexa prorſus decidant.

QUA

QUÆSTIO IV.

Cur abjectis cornibus cervi lateant?

REm ipsam docet experientia, de quâ *Plinius* l. 8. cap. 37. *Latent*, inquit, *amissis velut inermes, sed & ipsi bono suo invidentes. Dextrum cornu negant inveniri, ceu medicamento aliquo præditum. Idque mirabilius fatendum est; cùm & in vivariis mutent omnibus annis: Defodi ab iis putant.* Hactenus ille. Testatur idem etiam *Aristoteles* l. 9. cujus verba non pigebit adscribere: ἔτι δὲ ὁ ἄρρην ὅταν γένηται παχύς, γίνεται δὲ σφόδρα πίων ὀπώρας οὔσης, οὐδαμοῦ ποιεῖ ἑαυτὸν φανερὸν, ἀλλ' ἐκτοπίζει, ὡς διὰ τὴν παχύτητα εὐάλωτος ὤν· ἀποβάλλουσι δὲ καὶ τὰ κέρατα ἐν τόποις χαλεποῖς καὶ δυσεξευρέτοις· ὅθεν καὶ ἡ παροιμία γέγονεν, Οὗ αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσιν· ὥσπερ γὰρ ὅπλα ἀποβεβληκυῖαι, φυλάττονται ὁρᾶσθαι· λέγεται δὲ ὡς τὸ ἀριστερὸν κέρας οὐδεὶς πω ἑώρακεν. ἀποκρύπτειν γὰρ αὐτός, ὡς ἔχον τινὰ φαρμακείαν· hoc est, *Præterea mas postcaquam pinguerit, pinguescit autem admodum, idque autumno, nequaquam sese conspiciendum præbet: verùm secedit è medio, quippe qui propter corpulentiam, tum facilè capi possit. Adhæc abjiciunt, & cornua locis asperis, inventuque difficillimis. Unde proverbium etiam natum est:* Ubi

cervi abjiciunt cornua. *Nam ut jam armis suis exuti, cavent ne conspiciantur. Ajunt sinistrum cornu à nemine visum esse. Abdere enim illud cervos, tanquam remedium aliquod in se habeat.* Jam causas hujus rei investigabimus. Putamus autem, cervos amissis cornibus latere (1) *propter corporis deformitatem.* Ut enim corona ornat Regem, sic cornua cervum: Quibus amissis dolet ille, & pudore confusus hominum brutorumque conspectum fugit. Neque enim hæc latere possunt cervos; quàm & equos, phaleris ornatos, sua mirari dona, & incessu superbo se ostentare videamus: Contrà verò omnibus ornamentis spoliatos, minus efferri atque superbire. Immò ne quod ignominiæ signum appareat, abjecta cornua in abditis & inaccessis locis defodere dicuntur. Unde proverbium natum: *Ubi cervi cornua abjiciunt:* De quo vide *Erasmum* Adag. p. 539. 540. Atque hoc est, quod *Oppianus* Cyn. l. 2. v. 214. jam olim cecinit, hoc sensu:

Latitant ipsi in penitis densisq; fruticibus,
Cùm pudeat eos feris capita talia apparere
Nuda, quæ paulò ante altè erigebant.

Quo

Quò alludit etiam *Petrus Angelius Bargæus* lib. 1. Carm.

Et cervus ſolet abditus cavernis,
Si fronti decus excidit ſuperbum,
Tantiſper recubans latere in altis,
Dum ſentit capiti arbores renatas,
Quiq; olim aruerant cadente trunco,
Proceros iterum vivere ramos.

(2) *Ob Virium imbecillitatem.* In cornibus enim ſuum ſe habere robur cervi ſciunt. Hinc ira, aut libidine incenſi cornibꝰ petunt homines, cornibus ſe defendunt: Iis verò amiſſis, inermes ſunt, & quo ſe tueri poſſint, non habent. Latibula ergò quærunt, quæ ubi invenerint, tantisper latent, dum aliis armati cornibus priſtinum ſibi vigorem roburq́; reſtitutum videant. Huic rationi favet *Theophylactus Simocatus* probl. 5. Et reſpexiſſe quoque eò videtur *Plinius* verbis, modò allegatis: *Latent amiſſis cornibus velut inermens.* Videatur *Sachſius* l. 1. p. 451. (3) *Propter muſcarum malignitatem*, quæ radices cornuum teneras facilè cum ſummo Cervorum dolore perforaturæ eſſent; niſi fuga ſalutem quærerent, alioq́; ſe conferrent. Vide *Ariſtot.* lib. 9. Hiſt. An. c. 5.

QVÆSTIO V.

An in Cervorum genere solis maribus sint cornua, desint fœminis?

HÆc totidem verbis asserit *Aristoteles* lib. 3. de part. animal. c. 1. τῶν ἐλάφων οἱ μὲν ἄῤῥενες ἔχουσι κέρατα, αἱ δὲ θήλειαι οὐκ ἔχουσι. Et *Pollux* libr. 5. τῶν ἐλάφων ἀκέρως ἡ θήλεια, ὁ δ' ἄῤῥην κεροφόρος: *Inter Cervos fœmina sine cornibus est, mas verò corniger.* Sequitur *Cardanus* lib. 10. de subtil. *Aldrov.* de quadrup. bisulc. l. 1. p. 776. Nec aliud ipsa docet experientia. Sunt tamen qui cervam etiam cornibus esse instructam, scribunt. *Pindarus* Od. 3. Olymp. dixit χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν *cervam fœminam aureis cornibus.* Similia apud *Anacreontem*, *Sophoclem*, *Euripidem*, *Callimachum* hymno in Dianam leguntur. Imò *Scholia in Pindarum* fœminis cervis ab omnibus Poëtis *cornua* adscribi tradunt. His adjungendus *Silius Italicus*, qui lib. 3. ait:

--- --- --- ---- & altos
Æripedis ramos superantia cornua cervæ.

Franciscus Petrarcha etiam in Rhythmo quodam Lauram suam cervæ cornibus

com

comparans, duobus eam cornibus auratis sibi aperuisse fingit; Verùm & ipse propterea à viris doctis sugillatur. Nec deest his experientia. Tradit enim *Gunterus* in Ligurino seu in libr. de rebus gestis Friderici I. Imperatoris, Cæsarem Maximilianum alicubi cervam cornutam deprehendisse. *Scaliger.* l. 3. Poët. cap. 4. scribit: *In Gallia cerva cum cornibus nostris temporius & visa & capta est, cujus etiamnum servatur caput.* Plura exempla vide apud *Aelian.* de animal. lib. 7. c. 39. p. 451. *Langium* in Epist. *Jonston.* Thaomatogr. Nat. c. 10. p. 298. Sed hæc, ait *Aldrovandus* l. a. *monstra* meo judicio dicenda erunt. *Delrius* Comment. in Herculem furentem, suspicatur, per enallogen *cervam* Græcos pro *cervo* posuisse, more Atticorum, qui τὴν ἔλαφον & αἱ ἔλαφοι, articulum fœmininum jungunt Masculino nomini. *Gesnerus* Græcos *cervum marem* quondam τὴν ἔλαφον vocasse, observat. Nos *singularibus* hæc annumeramus Naturæ effectis, qualia etiam sunt: *Oves cornutæ* in Prussia visæ à Graba l. a. p. 34. & *mulieres barbatæ*, in multis sæpè locis repertæ.

QVÆSTIO V.

An in Cervorum genere solis maribus sint cornua, desint fœminis?

HÆc totidem verbis asserit *Aristoteles* lib. 3. de part. animal. c. 1. τῶν ἐλάφων οἱ μὲν ἄῤῥενες ἔχουσι κέρατα, αἱ δὲ θήλειαι οὐκ ἔχουσι. Et *Pollux* libr. 5. των ἐλάφιον ἀκέρως ἡ θήλεια, ὁ δ' ἄῤῥην κερασφόρος: *Inter Cervos fœmina sine cornibus est, mas verò corniger.* Sequitur *Cardanus* lib. 10. de subtil. *Aldrov.* de quadrup. bisulc. l. 1. p. 776. Nec aliud ipsa docet experientia. Sunt tamen qui cervam etiam cornibus esse instructam, scribunt. *Pindarus* Od. 3. Olymp. dixit χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν *cervam fœminam aureis cornibus.* Similia apud *Anacreontem*, *Sophoclem*, *Euripidem*, *Callimachum* hymno in Dianam leguntur. Imò *Scholia in Pindarum* fœminis cervis ab omnibus Poëtis *cornua* adscribi tradunt. His adjungendus *Silius Italicus*, qui lib. 3. ait:

--- --- --- --- & altos
Æripedis ramos superantia cornua cervæ.

Franciscus Petrarcha etiam in Rhythmo quodam Lauram suam cervæ cornibus

com

comparans, duobus eam cornibus auratis sibi aperuisse fingit; Verùm & ipse propterea à viris doctis sugillatur. Nec deest his experientia. Tradit enim *Gunterus* in Ligurino seu in libr. de rebus gestis Friderici I. Imperatoris, Cæsarem Maximilianum alicubi cervam cornutam deprehendisse. *Scaliger.* l. 3. Poët. cap. 4. scribit: *In Gallia cerva cum cornibus nostris temporius & visa & capta est, cujus etiamnum servatur caput.* Plura exempla vide apud *Aelian.* de animal. lib. 7. c. 39. p. 451. *Langium* in Epist. *Jonston.* Thaomatogr. Nat. c. 10. p. 298. Sed hæc, ait *Aldrovandus* l. a. *monstra* meo judicio dicenda erunt. *Delrius* Comment. in Herculem furentem, suspicatur, per enallogen *cervam* Græcos pro *cervo* posuisse, more Atticorum, qui τὴν ἔλαφον & αἱ ἔλαφοι, articulum fœmininum jungunt Masculino nomini. *Gesnerus* Græcos *cervum marem* quondam τὴν ἔλαφον vocasse, observat. Nos *singularibus* hæc annumeramus Naturæ effectis, qualia etiam sunt: *Oves cornutæ* in Prussia visæ à Graba l. a. p. 34. & *mulieres barbatæ*, in multis sæpè locis repertæ.

QUÆ-

QVÆSTIO VI.

Cur cervæ fœminæ cornibus careant?

CArdanus de Animal. perfect. l. 10. p. 568. Duas allegat caussas à *fine* & *efficiente* deductas. (1) *Cum enim matres fœtus in alvo gerant, levitate & agilitate opus habent, unde cornua prægrandia & ramosa illis essent impedimento.* (2) *Est etiam genus illorum animalium timidum, ut fœminæ sint timidissimæ, quamobrē illis cornua nulli essent usui* (3) *Deest etiam calor, qui materiam cornuum gignere possit, & genitam extrudere simulatq; extendere: ob id velut hominibus barba, ita cervis cornua, ut ad solum ornatum facta videantur, & neutrùm adsit fœminino sexui illorum. Quæstio & in pecudibus observanda est: Cornuti enim mares, fœminæ absq; cornibus sunt. In jugis tamen montium frigidissimarùm Regionum alicubi, quoniam ob frigus aëris calor naturalis confirmatur, etiam fœminæ cornua habent.* Hæc ille. quibus *Hercules Saxonicus* addit (4) quod *sangvis* qui in materiam cornuum transire debeat, in *alimentum fœtus* vertatur.

QUÆ-

QVÆSTIO VII.

An Cervorum cornua ſex tantùm ramos, non plures habeant?

SOlinus in Polyhiſt. c. 31. p. 97. n. 442. de cervis hæc referens: *Pro ætate*, inquit, *armos augent. Id incrementum per ſex annos perſeverat. Deinceps numeroſiora fieri non poſſunt, groſſiora poſſunt, quæ quidem caſtratis nunqnam creſcunt, nec tamen decidunt cornua.* Idem ante Solinum *Plinius*, & poſt eum multi docuere alii, ſed repugnante veritate. Nam *Albertus & Matthiolus* in Dioſc. teſtantur, cervorum cornua in Germania & Italia ad *undecimum* usq; *ramum* dividi. *Aldrovandus* l. a. p. 777. ſe vidiſſe, ait, in penu ſereniſſimi Ferrariæ Ducis cervùm in agro Ferrarienſi interfectum, magnitudine equo paulò inferiorem, cujus cornua adeò ramis referta fuerunt, ut potius ſuperarent, quàm à Germanis ſuperarentur. De Bavariæ quoque Duce Guilielmo referunt, quod bina cervi cornua habuerit, quorum utrumque *unum & viginti ramos* fudit. Tradit etiam *Geſnerus*, ſe audiviſſe Antverpiæ, cornua in pharmacopolio quodam reperiri, quorum ſingula

ſingula *ramos* circiter *quindecim* habeant. Vid. *Voſſius* Theol. Gentil. lib. 3. cap. 57. p. 1037. Quod verò nonnulli addunt, *cervorum ætatem ex ramorum numero conſpici poſſe*; à veritate itidem alienum eſt. Cùm enim cervi longiſſimi ſint ævi, iis profectò, quos amplius centum annos vixiſſe, auctores memorant, cornua quercubus & pinis majora fuiſſent, ſi quotannis romorum augeretur numerus. Certiora forſan illa ſunt indicia, quibus cervorum ſenectutem conſpici poſſe *Ariſtoteles* ſcribit Hiſt. Anim. l. 1. c. 9. videlicet quod *dentes* aut *nullos* aut *paucos* habeant, & *adminiculis* præterea careant, qui imis cornibus prominent ante frontem. Verba ejus hæc ſunt: Ἀλλὰ τοὺς γέροντας γνωρίζουσι μάλιστα δυοῖν σημείοιν. ὀδόντας τε γὰρ οἱ μὲν ὀλίγους οὐκ' ἔχουσιν, οἱ δ' ὀλίγους. Καὶ τοὺς ἀμυντῆρας οὐκ ἔτι φύουσι. καλοῦνται δὲ ἀμυντῆρες, τὰ προνενευκότα τῶν φυομένων κεράτων εἰς τὸ πρόσθεν, οἷς ἀμύνονται. Ταῦτα δ' οἱ γέροντες οὐκ ἔχουσιν, ἀλλ' εἰς τὸ ὀρθὸν γίνεται ἡ αὔξησις τῶν κεράτων. Vid. *Matthiol.* Comm. in libr. 2. Dioſcor. cap. 51. p. 194.

QVÆSTIO VIII.

An cornua cervorum vivant?

NOn quærimus (1) de *cornu usto*, sed *crudo*, (2) neq; de *separato*, sed *cervino capiti adhærente* Intellige autem (3) *caput vivi*, non *mortui cervi*, (4) *Vitamq; propriè*, non *impropriè* sic dictam. Atq; his ita præmissis affirmamus quæstionem, his usi argumentis: *Ubicunq; dantur operationes vitales, ibi ipsa quoq; datur vita*: Atqui *in cornu cervino dantur operationes vitales*; Ergò. *Minor* probatur hoc prosyllogismo: *Quicquid crescit & augetur propriè, in eo sunt operationes vitales*: Atqui *cornu cervi crescit & augetur propriè*; Ergò. *Propositio* patet: quia potentia altrix & auctrix principes animæ vegetativæ sunt facultates. *Assumtum* Natura & experientia confirmant. Videmus enim in radicibus cornuum sanguinem, videmus in iis lentosum quendam ex sanguine ortum humorem. His aluntur cornua, his secundum omnes dimensiones extenduntur, justamq; quantitatem consequuntur. Deinde argumentamur ita: *In quocunq; est anima, in eo etiam reperitur vita*: Atqui *in cornibus cervi*

est

est anima; Ergò. *Major* probatur, quia vita est essentiale consequens animæ, ita ut animam dare sine vitâ, sit somnium facere sine somno. *Minor* ideò vera est, quia cervus ipse animatus est. Anima autem cervi non est in unâ tantùm, alterave parte seorsum, sed in omnibus simul, secundum illud Philosophorum axioma: *Formæ materiales totæ sunt in toto corpore*. Ad partes autem cornua pertinere supra diximus. Fallit ergò fallitur q; cætera doctissimus *Cardanus*, qui lib. de subtil. 10. p. 565. cervorum cornua vivere negat propterea, quod venis & nervis non sint prædita neq; mollia. Verum non sequitur: *Quicquid vivit, illud venis & nervis præditum & molle est*. Arbores enim non sunt molles, neq; ossa; & tamen vivunt: sanguis venas & nervos non habet; vitâ tamen maximè gaudet. Multæ quoq; aliæ corporis partes venis destituuntur & nervis, quæ tamen vitâ minimè carent. Quid quod *venæ* & *nervi* magis ad *sensum* requirantur, quàm ad *vitam*. Et licet ponamus ad vitam etiam venas requiri, propterea tamen de cornuum vitâ desperandum nobis non esset, cùm in iis etiam quidam r

per

periantur ductus, venarum officio fungentes.

SECTIO III.
AXIOMATICA
AXIOMA I.

Vires cornu cervini in medicina maximæ sunt.

Pleni hac re Scriptorum recentiorum libri sunt, plena quoq; vetustas. Ab hac quædam petemus, quanquam multa veris subesse soleant falsa. Ajunt cornu cervinum utile esse (1) adversus *venena*. Qui usus etiam Barbaris, Floridæ Insulæ incolis haud ignotus: Nam labia infantum suorum perforant, particulâ cornu cervini foramini impositâ, quâ à veneno illæsos fore, sibi persuadent. (2) *In collyriis*. Hinc collyrium *Joannis Gvinterii Andernaci* ap. *Aldrov*. p. 849. *Cornu cervi usti & eloti, thuris, plumbi usti, & eloti, singulorum drachmæ quatuor, ex aquâ pluviali conficiatur collyrium. Ulcera*: inquit, *& pustulas oculorum sanat, cicatrices exterit*. (3) *Capitis* quoq; *dolori* mederi cornu cervinum,

cum oleo rosaceo fronti contritum, *Plinius*, *Marcellus*, *Galenus* produnt, quanquam ex incerta caussâ. (4) Ad *Defluvium capillorum* prohibendum facere, *Orpheus* docet in libr. de lapid. his versibus:

Αἰεί τοι θέσει λασίην ἐπὶ κράατι λάχνην,
Εἰ καὶ ψεδνοκάρηνος ἔοις, εἴ γε μιν ἐλαίῳ
Τελβόμενον τρίβοις καταπάσσοις πάνθ' ἤματα σεῖο,
Αἳ δὲ νέαι περὶ βρεγματιὸν τρίχες ἀνθήσουσι.

Vid. *Marcellus*, & *Plinius*. (5) Ad *porriginem* etiam cinerem ejusdem è vivo prodesse, ait *Plinius*. (6) Ad *impetigines* adhibendum svadet *Galenus* 3. εὐπορ. 278. (7) Adque *ulcera* sananda plurimum facere, *Sextus* & *Plinius* auctores sunt. (8) Ad *lentigines* de facie tollendas *Marcellus* lenticulam cum scobe tenui de cornu cervino, & sevum cervinum pariter dividi jubet, coqui, & teri, atque eo faciem vel ante horam balnei, vel & in balneo frequenter illini. (9) *Pediculos* in capite, *lendes* nasci non sinere idem cornu, *Marcellus* testatur. (10) *Comitialem morbum* manifestat nidor cornu, referente *Plinio*, & ex eodem *Serlino*; it. *Blondo*. (11) Adversus *scrophulas gutturis* quidam cervini cornu tritum, cum spongiis, in quibus lapides reperiuntur, æqua

me

mensura ex vinò & aquâ quotidiè manè à jejunis bibi jubent. (12) *Ulceribus oculorum* idem ustum & elotum salutare esse, docent *Dioscorides*, *Galenus*, & *Sextus*. (13) Ad *polypum* cornu cervi ustum, & sandaracham naribus inflare, præcipit *Galenus* l. ἐυπορ. c.26. (14) Ad *dentium albedinem* conservandam, utendum eodem, censet *Dioscorides* & cum ipso alii multi. (15) Ad *dentes confirmandos*, eorumq; *dolorem sedandum*, porrigunt cornu cervi, *Plinius*, *Galenus* 2. Eυπρ. 12. & in oper. de Simpl. Medic. Facult. *Aegineta*, *Sextus*, *Marcellus*, *Albertus*, *Rhasis*, *Serenus Poëta*. (16) Ad *empyema* & *hæmoptoisin*. (17) Ad *Dysenteriam*. (18) Ad *Auriginem*. (19) ad *Vomitum nimium*. (20) ad *Splenicam*. (21) Ad *Colicam*. (22) Ad *lumbricos*. (23) Ad *stranguriam*. (24) Ad *aquosum ramicem*. (25) Ad *profluvium muliebre*. (26) Ad *præfocationem*. De quibus omnibus plura videre licet apud *Aldrov.* de Quadrup: Bisulc. l.1. cap.27. p.853. *Grabam* l. 2. *Horstium* Tom.3. Cent. probl θεραπ. Dec.1. de febr. quæst.4. p.5. *Schröderum* in Phil. Med. Ch. l. 5. c.1. *Cratonem* in consiliis l. 4. consil. 21. num. 240. *Sennertum* Tom. 1. & 2. *Scholtzium* in Epist. Medicin. *Zwelfferum* in Pharm. Aug. Animadvers. f. 463.

463. *Ranchinum* Tract. de morb. sen. Sect. 3. *à Mynsicht* in armament. Medico-Chym. sect. 4. p. 93. *Keslerum* Cent. 3. c. 26. *Clokium* de Nuce Medica c. 14. p. 54. & 55. *Tentzelium* Philosopho-Medic. de Peste: O. 3. *Grembs* in arbor. ruinos. homin. l. 2. c. 3. n. 47. f. 426. *Baeberum* in Parnass. Med. Zool. part. 1. f. 30. O. *Mœbium* in dissert. de nat. Cervi f. 20. & alios *Medicos*.

AXIOMA II.

Cornu cervinum in deliciis habent gulæ portentosa ingenia.

NOn ad *medicamenta* tantùm cornu cervinum à Medicis adhibitum; sed, quod mireris, delicatuli Sardanapali in ganeam etiam vertere illud noverunt. Recens enim elixare & posteà in frustula dividere soliti fuerunt, teste *Bruyerino*, ap. Aldrov. l. a. *Quis hoc primùm excogitavit*? Quærit *Julius Alexandrinus* Lib. XI. Salubr. c. XI. *Quorumnam inventum hoc? Quæ tanta gulæ libido? Aut quod pòtius tantum, tam salubrium, tam sapidarum rerum aliarum copiam aversantis stomachi fastidium? ut ista expeteret, in quibus nec salubritas ulla glutinosis, aut terrestribus: & sapor (gustassi namq*

namq; libuit) qualis fungorum ferè in exciso fœtu: In cornibus, tuberum, sed solutili magis, minusq; concreta materia. Mirari hæc liberet, nisi in tanto jam luxu, & portentosæ flagitiosæq; ganeæ licentia nihil jam factum esset nobis reliqui, quod miraremur.

AXIOMA III.

Cornu cervi olim res sacra habebatur.

MOrem fuisse venationis, ut ex jaculis confixo grege præmium, caput feræ, redderetur Dianæ, interpres *Aristophanis* in Pluto docet his verbis: ἔθος ἦν, τοὺς θηρεῦντας ἃ ἂν ἄγρευ, μέρος τι τοῦ θηρευμένου, κεφαλὴν, ἢ πόδα προσηλοῦν πασσάλῳ ἐπί τινος δένδρου, εἰς αὐτὴν τὴν ὕλην πρὸς τιμὴν τῆς ἀρτέμιδος: *Consvetudo fuit venatoribus, partem prædæ, caput aut pedem, clavo affigere ex quapiam arbore in sylva ipsa in honorem Dianæ.* Eundem morem confirmat ipse *Poëta* Æneid. 9. v. 407. 408. de *Lunâ* canens:

--- --- Si qua ipse meis venatibus auxi
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

Et *Manilius* l. 4.

--- --- --- *postes ornare superbos*

Pellibus, & captas domibus configere prædas.

Ex eodem more *Dio. Chrysost.* Orat. 1. δέρματα ἱερείων κρεμάμενα: *coria victimarum pendentia.* Imprimis verò *cornua cervorum* Dianæ consecrata legimus. Testis *Virgilius* est Eclog. 7. v. 29. 30.

Setosi caput hoc apri tibi Delia parvus

Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.

Et *Ovidius* 12. Metamorph.

--- --- --- *votivi cornua cervi.*

Apertissimè verò *Symmachus* Epist. 66. lib. 5. ad Olybrium & Probinum: *Honori numinum datur, cornua sacrare cervorum, & aprinos dentes liminibus affigere.* Hinc *Plutarchus* ἐν ῥωμ. quærit: Διά τι τοῖς ἄλλοις ἀρτεμισίοις ἐπιεικῶς ἐλάφων κέρατα προσπαττάλευσι, τῷ ἢ ἐν Ἀβεντίνῳ βοῶν; *cur reliquis Dianæ fanis soleant cervorum cornua affigi: ei, quod in Abentino est boum.*

AXIOMA IV.

Cornua cervi sola decidua non sunt.

A*Ristoteles* quidem 2. Hist. 1. asserit, soli cervo cornua quotannis decidere, cæteris verò omnibus esse perpetua, nisi pe-

vim aliquam amittant. Cui etiam *Plinius* Lib. II. c. 37. subscribit. Sed *Aldrov.* de Qv. Bis. p. 10. refert, *capreolos*, *alces*, nonnullaq; alia deciduis esse cornibus, quod nec olim *Albertus* ignoravit.

CAPUT X.

DE STELLIS CADENTIBUS.

STella cadens *unde derivetur? Ejus Homonymia, & Synonymia apud Græcos, Latinos & Germanos. Definitio. Genus. Differentia à caussis. Caussa Stell. Cad. efficiens. Materia. Forma. Finis. Locus. Tempus. An stellæ revera è Cœlo decidant? Quî fiat, quod nonnunquam vera stella, sub quâ trajectio accidit, non statim appareat? An stellarum trajectiones etiam interdiu contingant? Cur stellæ, cùm transvolant, videantur longum iter porrigere? Cur stellarum cadentium motus in fine segnior sit? Quid stellæ cadentes præsagiant? Stella cadens non est species mundi. Habet caussas suas naturales. & est ens reale.*

SECTIO I.
DOGMATICA.

§. I.

CUm reali cujuslibet materiæ definitioni *Onomatologia* vel consideratio nominalis meritò præmitti debeat, monente *Platone*: δεῖ ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα; & *Galeno* l. 1. de Meth. Med. c. 5. *Principium in omni Disputatione & re nomen* (definitio nominalis) *est*: Est enim à nominis origine natura rei sæpè deducenda; idcircò & nos impræsentiarum non malè agemus, si idem in nostrâ hacce tractatione observemus, & *Pragmatologiæ Onomatologiam* præmittamus.

§. II. In *Onomatologia* evolvenda nobis venit (1) *Etymologia*, secundum quam meteoron hoc dicitur (1) *Stella*, non quidem κατ' ἀλήθειαν, sed κατὰ δόξαν, non quoad *internam formam*, sed quoad *externam figuram*: Srellæ enim admodùm similis videtur hæc inflammatio. Vox autem *Stellæ* derivatur, vel, secundum *Becmannum* de Orig. Lat. L. p. 627. à Σέλας, quod *splendorem* notat; vel, ut alii volunt, à τέλλω, ἀνατέλλω, *orior*; vel denique à στέλλειν, *mittere*, quòd radios

suos

ſuos emittant. Nos, prioribus derivationibus omiſſis, (quæ tamen etiam huc quadrare poſſent, cùm *Stellæ Cadentes* in modum verarum Stellarum in aëre corruſcent fulgeantque,) potiſſimum ultimam attendemus, aliam tamen derivationis rationem adjiciemus. Scilicet dicitur hoc meteoron *Stella*, quia deſuper *στέλλεται*, *mittitur*, ac detruditur. Hinc (2) cognominatur *Cadens*, à motu, quia *ſtellæ cadentis* imaginem exhibet. Perinde ac *Draco volans* Draco à figura, volans à *motu* nominatur.

§. III. (2. *Homonymia*, quæ errorum genitrix ſemper exiſtit. Niſi enim voces, de quibus ſermo, ab æquivocationibus liberentur, ingentes errorum cumuli inde naſcuntur. Hos ergò ut evitemus, notamus, quod *Stellas Cadentes* h. l. non accipiamus in *ſenſu Epicuræo*, pro cæleſtibus corporibus, ex luce primæva genitis, quorum lapſum Epicurum ſomniaſſe ferunt; ſed in *ſenſu Philoſophico*, pro meteoro aliquo emphatico, quod ex effluvio accenſo, genitum, ob loci frigiditatem, hoſtem fugiens, repercuſſum ac detruſum, ſtellæ cadentis ſpeciem offert.

§. IV. (3) *Synonymia*, quæ non parum

etiam lucis nominali hujus rei considerationi affert. Varias autem à variis hæc *trajectio* sortitur appellationes. Nos in tres potissimum ordines eas dispescemus. Primus ordo est *Græcorum*. His *Stellæ cadentes* dicuntur (1) ἀστέρες διαθέοντες, h. e. *transcurrentes* stellæ, quia aëris regionem transcurrunt. (2) ἀστέρες διάττοντες, stellæ *prosilientes*, à διάττειν, quod est *prosilire*, quia, verarum instar stellarum, emicant & prosiliunt. (3) διαδρομαὶ τῶν ἀστέρων, i. e. *discursus stellarum*, quia cœlo discurrere, vel decurrere videntur: quo nomine *Aristot.* l. 1. met. usus est, qui eas alibi etiam vocat (4) οἷον ἄστρου ῥύσιν, in descriptione τοῦ στηριγμοῦ; ὁ δὲ στηριγμός ἐστι, inquiens, χωρὶς φορᾶς περὶ μήκους ἔκτασις, καὶ οἷον ἄστρου ῥύσις, *Firmitas est oblonga absque impulsu intentio, & quasi sideris fluor*, *Aristot.* l. 1. de Mundo (5) ἀκοντίσματα καὶ διεκδρομαὶ, *transcursus & jacula*, s. tela, quia, veluti tela, ob frigus evibrantur. *Ptolom.* in Centiloq. Secundus ordo est *Latinorum*, qui varias etiam stellis cadentibus tribuunt appellationes. (α) *Plinius* enim Aristotelis διεκδρομὰς vertit *Discursus stellarum*, l. 1. Nat. Hist. c. 36. p. m. 10. (β) Apud *Senecam* l. 1. Nat. Quæst, c. 4. audiunt *stellæ transvolantes*;

& apud

& apud *Maronem* l. 5. Æneid. *Sidera volantia*; celerrimè enim aërem, veluti aves, pervolant. (γ) Idem *Virgilius præcipites* quoque vocat *stellas*, l. 1. Georg. quia ab aëre frigido præcipites quasi aguntur. (δ) à *Cicerone* & aliis salutantur *trajectiones stellarum*. Ubi tamen observandum, quod hæc vox ab aliis *generaliter* sumatur, & non tantùm *stellis cadentibus*, sed etiam *trabibus*, *facibus*, *titionibus* &c. tribuatur; Nos tamen h. l. *specialiter* usurpamus, & cum *Pontan.* in Exposit. Sent. 98. Centiloq. solis Cadentibus tribuimus. Tertius ordo est *Germanorum*, vulgò eas vocantium, das Stern-schiessen / das Stern-schneutzen / das Stern-putzen / das Stern-reinigen. Et si quæ similes sunt appellationes, quibus hoc meteoron exprimunt.

§. V. *Pragmatologia* jam sequitur, in qua ipsa rei natura altiùs investiganda. Exponit autem hæc (1) *Essentialia*, quæ spectantur tum *conjunctim*, in *definitione*, tum *separatim* in *causarum* expositione. Quod attinet ad *definitionem*, eam celeberrimus Marpurgensium Medicus, *Magirus*, Physiol. l. 4. c. 2. p. m. 261. his exposuit verbis: *Stella cadens est fumus, mediocriter compactus & globatus, qui*

supernè

ſupernè accenſus, à nube deorſum pellitur, & ita ſtellæ è cœlo decidentis imaginem nobis exhibet. Hunc ſecutus B. *Scharffius* Phyſ. ſpecial. l. 4. c. 2. p. m. 406. Aliique *Peripateticorum.* Verùm cùm hæ deſcriptiones minùs ſint accuratæ, quoniam ſolus fumus accendi nequit, meritò præferimus B. Sperlingii deſcriptionem, ex Inſtit. Phyſ. l. 5. c. 10. §. 10. p. m. 862. petitam, quæ ita habet: *Stella cadens eſt meteoron emphaticum, ex effluvio ſupernè accenſo genitum, & ob loci frigiditatem repreſſum ac deorſum detruſum, ſtellarum è cœlo cadentium imaginem offerens.*

§. VI. In hac *definitione* reperimus (1) *Genus*, quod eſt, *meteoron*: quia Stella cadens nihil aliud eſt, quam effluviorum ignitorum affectio ſub figura certâ, ſtellarum nimirum, eadem repræſentans. Quoniam autem terminus meteori laxus eſt, & ſub ambitu ſuo non tantùm *meteora hypoſtatica*, verùm etiam *emphatica* comprehendit; Ideò rectiſſimè *Genus* h. l. per additamentum *Emphaticum* coarctatur. Probatur autem noſtra ſententia (1) *ex Meteori Emphatici definitione.* Cuicunque enim competit Definitio, eidem etiam attribuatur definitum neceſſe

necesse est: Atqui Stellis cadentibus competit definitio meteori Emphatici: Ergò. *Major* canonica sua gaudet auctoritate. *Minor* probatur, quia Stellæ cadentes faciem, quâ apparent, realem non habent. Habent quidem *realem* aliquam *formam*, si *materialiter* considerentur, ratione sc. effluviorum, supernè accensorum: Hoc enim respectu *Entia* quoque vocari possunt *realia*; sed si *formaliter* spectentur, eam, quam ostendunt, formam minimè habent. (2) *Ex absurdi consecutione.* Nam si Stellæ cadentes statuerentur meteora *hypostatica*, sequeretur inde, quod faciem eam, quâ prodeunt, habeant realem. Sed posterius falsum est, uti testatur *Lindemann.* in Delic. Calend. E. & prius.

§. VII. (2) *Differentiam* quæ *conjunctim* naturam rei, explicat per causas tum *internas*, materiam & formam; tum externas, efficientem & finem. *Efficiens* Stellarum cadentium est (1) vel *Supernaturalis* seu *divina*, primus videlicet motor, principium effectivum rerum omnium, natura naturans, Deus ipse, qui singulari quadam harmoniâ sidera, ut trajectiones hasce excitarent, elementa, ut materiam suppeditarent, aërem denique

ipsum

ipsum, ut receptaculum iis daret, creavit: Vel *naturalis*, quæ re vera in effectum influit eundemque producit. Atque hæc est (2) vel *universalis*, nim. Sol & reliqua corpora cœlestia. (vocantur aliàs *causæ elevantes agentes*, quod in præparantem, effluvium sc. sulphureum, operentur.) Hæc enim vi sua in sublunaria vehementer agunt, radiis suis terræ meatùs potenter recludunt, effluviaque talia mirabiliter educunt, quæ stellis cadentibus materiam suppeditare possunt; Vel *particularis*, eaque aut *principalis præparans*, qualis effluvium sulphureum est; aut *instrumentalis s. accendens*, quâ corpora cœlestia ad hæc effecta producenda utuntur. Talis est tum *Calor*, qui intima terræ claustra permeat, effluvia pinguia ac sulphurea evocat, evocataque in sublime elevat; Tum *Frigus*, per quod exhalatio elevata condensatur, & coarctatur, ut loqui amat B. *Scharfius* Phys. Special. l. 4. c. 1. p. m. 400. Atomi enim sulphureæ ac igneæ, fugientes hostem frigus, congregant se magis condensanturque ac inflammantur, atque cum sursum in supremam aëris regionem, quæ purissima est, fuga non concedatur, deorsum truduntur

su-

ub imagine cadentium stellarum. Pertinet huc etiam *motus*, qui multum facit ad materiam sulphuream accendendam. Atque has causas ferè omnes *Fontanus* l. Meteor. cap. 17. p. 24. sequentibus complexus est versibus:

Sæpè per æstatem cœlo si forte silenti
Aut carpes iter, aut mavortia signa secutus,
Traduces vigilem per jussa silentia noctem,
Collucere faces, cœloq; cadentia cernes
Sydera, & incensos, per sudum albescere tractus.
Halitus hic modicusq; & cæco impulsus ab igni
Incidit in gelidas ut primum frigoris oras,
Nec potis incretum longe exsuperare rigorem,
Torquet iter fugiens nunc huc, nunc mobilis illuc,
Donec conceptam traxit per viscera flammam.
Nunc proprio incensus raptu, nunc terq; quaterq;
Exagitata ferens impactæ verbera nubis.
Ast ubi summotosq; locos, atq; aëra summum
Pervasit, qua continuus convertitur orbis,
Hic rapido impulsus cursu, vertigine & ipsa,
Incensus, varia splendet per inane figura.
Arida concipiunt ignem, fervetq; agitando
Spiritus, Incendit pugnantia corpora motus.

§. VIII,

§. VIII. *Materia* est vel *Ex quâ*, vel *In quâ.* Illam Stellæ cadentes nec habent, ne habere possunt, aut debent. Probo: *N. accidens habet materiam Ex quâ: Stella cadens est accidens*; E. *Major* est manifesta: Si enim accidens haberet *materiam ex quâ*, esset materiatum: Si hoc, esset substantia: Et sic substantia simul esset accidens, quod principio cognoscendi omnium primò (*impossibile est idem simul esse & non esse*) contrariatur. *Minor* patet (1) ex *formali stellæ cadentis conditione*; Quia Stella cadens nihil aliud est, quam impressio & figura quædam externa corporis: Omnis autem impressio, omnis figura est accidens. E. (2) *Ex Accidentis definitione*. Accidens enim est *id, quod est in alio, tanquam in subjecto, nec potest esse sine eo.* Scharff. Instit. Log. At verò nonne Stella Cadens est in alio, tanquam in subjecto, effluvio sc. Et ubi exsistere posset hoc meteoron, nisi in sulphureo suo subjecto? (3) *Ex majoris ad minus collatione*; Si enim meteora κατ' ὑπόστασιν sunt accidentia, sequitur, quod multo magis τὰ κατ' ἔμφασιν φαντάσματα in accidentium classem sint referenda: Atqui verum prius, ut prolixè satis & accuratè, more suo, de-

mon-

monstravit B. *Sperling.* l. 5. Inst. Phys. cap. 6. p. m. 786. E. Et posterius. *Materiam* autem *in quâ*, seu *subjectum* cum B. *Sperlingio* Stellis cadentibus tribuimus. Hæc verò non est *fumus*, ad quem confugiunt, *Meurerus* Quæst. meteor. p. m. 189. *Bartholinus* Physic. Special. part. 2. c. 6. & alii: neq; *vapor*, ut *Hagius* docet in Meteorol. qui tamen sibi ipsi non constat; sed, uti reliquorum meteororum, *effluvium pingue* est & *Sulphureum*. Quod probamus (1) *ex incensionis ratione*; Nam quicquid accenditur, sulphureum est: Stellæ Cadentis *materia in qua* accenditur; E. sulphurea est. *Major* probatur, quia solum sulphur inflammationes efficit. Nec elementa pura, ut ignis & aër inflammantur; sed si inflammari videntur, ob sulphureos vapores id mixtos hoc contingit. Vid. Prolixè hac de re disserentem B. *Sperlingium*, instit. Phys. l. 1. c. 4. p. m. 761. *Minorem* nemo negaverit, nisi, ipsi experientiæ bellum indicere velit. E. (2) *Ex ipsorum Peripateticorum Confeßione.* Sic *Fromondus*, Collegii Falconis in Lovaniensi Academ. Philos. Prof. Prim. l. 2. meteor. cap. *Ut autem materia*, inquit, *flammam concipiat*, *debet esse viscosa*; *aut pinguis*: (omne ve-

 rò pin-

rò pingue ſulphure per mixtum eſt) *quæ enim omni humore oleari carent, ut cineres, candelarum fuligines &c. non recipiunt inflammationem. Hinc ſequitur, materiam iſtam non eſſe (NB) puram putam terram, in fumos exhalatam; mera enim terra arida eſt, & omnis pinguedinis expers.* Alios libens prætermitto.

§. IX. *Forma* hujus trajectionis eſt *Accidentalis* illa, quam refert, *figura*, à ſtella ſuperiore, ſub quâ accenditur, ipſi impreſſa. Huc ſpectat etiam *Stellarum Cadentium motus*, qui plerumq; eſt *obliquus* propterea, quod à *vento* pellantur, quem ab eo angulo, unde cadunt, venturum indicant. Dico autem *plerumq;*: quia ſæpè directè decidere videntur, idq; ideò, quia effluvium gravius eſt.

§. X. *Finis* denique Stellarum Cadentium eſt vel *Theologicus*, qui reſpectu DEI, dicitur *ſapientiæ, potentiæ & bonitatis ejus demonſtratio.* Deus enim in omnibus ſuis operibus, etiam minimis, maximam ſuam potentiam & immenſam ſapientiam demonſtrare voluit. Ut eleganter *Stigelius* vol. 1. ad Paulum Eberum v. 13. canit.

Emicat ex cunctis divina potentia rebus,
Et levis eſt ceſpes, qui probat eſſe Deum.

Reſpe-

Respectu *nostri* est *DEI mirabiliter hæc ordinantis*, *agnitio & celebratio*; Non enim frustra Deus Opt. Max. hæc omnia ordinat, sed ut nos ea scrutemur & admiremur, ejusque majestatem veneremur; vel *Physicus*, isq; varius. (1) *Tempestatum significatio*, sive *prædictio*; pro colorum diversitate enim variam tempestatem notant. Si *pallidiores* appareant stellarum trajectiones, notant pluvias, quia cum aër aqueis vaporibus est repletus: si *rubicundiores*, ventos præsagiunt, quia aër siccis exhalationibus ac sterilibus nubibus abundat: si *clariores puriores*q;, serenitatem nunciant, eò quod aër purus sit. Virgil. lib. 1. Georg.

Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipites cœlo labi, noctisq; per umbras
Flammarum longos à tergo albescere tractus.

(2) *Aëris purgatio*. Multa enim noxia effluvia astrorum & præprimis solis, educuntur & in sublime vehuntur.

§. XI. (II) *Accidentalia*, cujusmodi sunt *Adjuncta* & *Circumstantiæ*. In his autem observandus est partim *Stellæ cadentis locus*, partim *Tempus*, partim etiam *generandi modus*. *Locus* est *media aëris Regio*, per quam sæpè ad infimam usq; detruditur. *Tempus*

verò est plerumq; *vernum* & *autumnale*. *Hyberno* tamen etiam quandoq; apparet, scilicet quando aër tempestate frigidus est; ut & *æstivo*, noctibus frigidiusculis; sed rarissimè, idq; *sereno* tantùm tempore, minimè *nubilo*, crassi enim vapores opprimunt materiam subtilem. Fiunt vero *noctu* pariter atq; *interdiu*, sed non conspiciuntur de die propter uberrimam solis lucem, quâ obscurantur ignes minores. Hinc *Seneca*. Nat. Quæst. lib. 1. c. 1. *Quare ergò etiam non interdiu transferuntur? Quid si dicam, stellas interdiu non esse, quia non apparent? Quemadmodum illæ latent & solis fulgore obumbrantur: Sic faces quoq; transcurrunt etiam interdiu sed abscondit eas diurni luminis claritas. Modus* deniq; in solâ *dissimilium* fuga consistit. Corpora enim calida ob frigidorum, & frigida ob calidorum præsentiam arctissimis sese constringunt vinculis. Sulphureæ quippe & igneæ Atomi, fugientes hostem, frigus, coarctantur magis magisq;. Cum vero postea in altiorem, vel supremam aëris regionē, quæ purissima dicitur, ascendendi nulla adaperiatur via, ad loca inferiora feruntur, & imaginem stellæ cadentis oculis mortali-

um

um oſtendunt. Huic noſtræ ſententiæ præter *Sperlingium* ipſimet quoq; favent *Mathematici*. Ex multis unius ſufficiat *M. Alberti Lindemann*. Mathemat. Prof. Publ. in Academia Regiomontana in deliciis Calendariograph. Prognoſt. Anno 1643. qv. 6. p. m. 39. allegaſſe verba ſequentia: Q. Was iſt zu halten von dem Schieſſen der Sterne/ welches wir pflegen zu nennen das Sternen Reinigen? Reſp. idem. Dieſe Frage iſt nicht weitläufftig ab zu handeln. Anfangs ſamlet ſich in dem dünſtigen Lufft-Revier eine zimliche menge von zäen/ dürren und ſchwefflichten Materien/ ſelbe würcket in einander in dem kalten dünſtigen Lufft-Revier/ biß daß der ſubtile Schweffel ſich antzündet/ ſo bekompt ſolche Materia einen Stoß/ welche unterwerts treibet/ Uhrſach iſt/ weil ſolche ſubtile Materie die warmeſte Spiritus oben habe/ welche am erſten angeſtecket werden/ indem nun der Brand verhanden/ und die Materie in der Bewegung iſt/ wegen des erſten fewrigen Anſtoſſes/ entgehen die verzehrten ſchwefflichten Spiritus/ uñ wird ſolcher Miſchmaſch ſchwerer und ſchwerer/

dannenherro es natürlichen nach der Erden fält / und scheinet solches einem schiessenden Sterne gleich. Fallus igitur est *Meurerus* Meteor. p. m. 195. *Zabarell.* l. de Reg. Aer c. 4. *Conimbr.* l. 1. de Gen. & Corupt. c. 9. q. 1. art. 3. p. m. 303. ipse quoq; Medicorum Pater *Galenus* lib. 3. de simpl. Medic. Facult. c. 7. *Forliviensis*, *Marsilius*, *Venetus*, *Hispalensis*, *Capreolus*, *Scotus*, aliiq;, qui omnes modum generationis meteori hujus fictâ quadam Ἀντιπεριστάσει, quâ scil. qualitas una ab alia intenditur, frigiditas à caliditate, & caliditas à frigiditate, exprimere conantur. Hos secutus est *Idefonsus de Pennafiel*, cujus verba hæc sunt: *Condensata & pinguis exhalatio non ita magno calore cùm ad cœli medium se extulerit, à frigore excepta, per Antiperistasin ignescet, dejicieturq; nonnunquam rectâ, nonnunqnam obliquâ lineâ, ex eo Stella cadens dicitur*, Curs. Philos. tom. 3. Disp. Phys. 5. qv. 5. §. 5. p. m. 576. Nec ab his abludit *Scaliger*, Philosophus cætera subtilissimus, Exerc. 28. s. 1. Sed omnes docent id, quod nec sana ratio, nec experientia admittit. Vide *Sperlingium* Instit. Phys. lib. IV. cap. 16. qv. 9.

SECTIO

SECTIO II.
EROTEMATICA.
QVÆSTIO I.
An stellæ reverà è cælo decidant? Neg.

NOn est nobis (1) sermo de meteoro illo, quod vulgò *Stella Cadens* audit: sed de Stellis illis, quæ sunt corpora naturalia simplicia, lucida, globosa, semper mobilia, ex luce primigeniâ ad salutem inferiorum producta. (2) Non quærimus de nomine cœli *Catachresticè*, vel *Analogice*, per *analogiam proportionis* accepto, pro *aëre*. In hoc enim meteoron illud generari, tanquam in loco proprio, jam diximus: sed quæritur, an stellæ hæ ex *loco sidereo*, quod stellas tum Erraticas, tum fixas continet, decidant, quod Neg. Ratio (1) *N. corpus leve naturaliter descendit: O Stella est corpus leve. E. N. stella naturaliter descendit.* *Major* ab omnibus concessa: *Minor* est manifesta: Stat ergò conclusio firma. (2) *Quodcunque corpus simplex est, illud, respectu principii interni, immutabile & incorruptibile est:* Atqui *de stellis verum prius: E. & posterius.* Majoris & Minoris,

probationem vide apud *Arist* l. 1. de Cœl. c. 3. aliosq;. Valeat hîc igitur *Epicureus Genius*, qui verum stellarum verarum lapsum asserebat. Singulis autem ille hominibus singulas attribuebat stellas: Principibus quidem, aliisq; in excelso vitam agentibus, clariores, majores, puriores; plebeiis verò cæterisq; infimæ sortis hominibus, obscuriores, minores, densiores. Quotiescunq; igitur stellam decidere videbant, toties & hominem, cujus stella esset, diem suum obire putabat. Sed auditum admissi risum teneatis amici! Quot enim quæso hodiè in cælo stellas videremus, si Epicuro pollicem premeremus? Nullas sanè, vel certè perquam paucas. Cùm tot millies mille hominibus extinctis, omnes simul exstinctæ essent. Quid? quod jamdudum terram texissent atq; obruissent; siquidem vel minima, quæ nobis videtur, stellula, magnitudine sua globum terrenum aliquoties excedit. Hinc præclarè, ut solet, *Sapiens Romanus* l. 1. Quæst. Nat. c. 1. *Stultissimum est*, inquit, *existimare*, *aut stellas decidere*, *aut transilire*, *aut aliquid illis auferri & abradi. Nam si hoc fuisset, jam defuissent. Nulla enim*

enim nox est, quâ non plurimæ ire, & in diversum videantur abduci. Atqui quo solent, quæq; inveniuntur loco. Magnitudo sua singulis constat. Idem repetit *Ildef. de Pennafiel.* Curs. Philos. tom. 3. Disp. Phys. 5. q. 5. §. 4. p. m. 176. Nec dissimile testimonium habet Lindemann loc. allegat. Auß diesem blicket / wie gar ungereimbt es sey / weñ man gemeinet hat / daß es warhafftige Stern seyn / und noch ungereimbter / daß sich die Sterne von solchem Unflath reinigen sollen. Denn solten sie vom Himmel fallen / würde man sie etliche Jahr continuirlich des Nachts / so klar Wetter verhanden / fallen sehen: Nachmahls so würde er aus einem natürlichen Revier fallen / welches gleich so ungereimbt / alß wenn Ich wolte sagen / das ein irdischer Stein nach dem Himmel fallen solte. Zu dem so würde er am müssen in einer abschewliche grösse an der Erden gesehen werden.

QUÆSTIO II.

Qui fiat, quod nonnunquam vera stella, sub quâ trajectio accidit, non statim appareat?

RESPONDEO: In causâ est, (1) *Fumi densi-*

tas, quando enim meteoron in aêre humido extinctum est, fumus exoritur, qui stellam veram occultat. (2) *Aêris condensati obscuritas*; quia impressionem cadentem crassus subsequitur aër, per quem oculorum acies ad stellam veram penetrare nequit. (3) *Motus siderei velocitas*; Celerrimè enim & liberrimè in cœlo progrediuntur astra, & vel unico momento aliquot milliarium iter absolvunt. Quid ergò mirum, si & stella, sub qua trajectio facta, visum nostrum illo simul momento prætervolavit? Vid. *Magir.* l. 4. Phys. c. 2. p. m. 266.

QVÆSTIO III.

An stellarum trajectiones etiam interdiu contingant? Aff.

Esi raro de die contingant, negandum tamen nō est, easdem plane nō accidere. Nam positâ causâ, ponatur etiam effectus necessum est. At verò, quis soli denegabit diurnum in hæc inferiora influxum? quis terram claudet, quo minus effluvia exeant, quibus stellarum cadentium imago imprimitur? Facile quidem largimur, quod sub visum nostrum non cadant. Verum à negatione nostræ visionis, ad negationem rei ipsius

ipsius, non valet consequentia. Rogas tamen, *quid causæ subsit, quod interdiu non videantur?* Respondeo: eadem, quæ stellas veras de die nobis inconspicuas efficit, *largissima* sc. *Solis claritas.* Sicuti enim candela aliqua, in luce solari exposita, aut lampas exigua prope luculentum focum non cernitur: Ita etiam hæ stellarum trajectiones, propter lucis suæ inopiam & majoris copiam, non apparent. Lumen enim majus obscurat minus. Quid? quod si *Senecæ* l. 7. Nat. quæst. fides habenda, aliquando etiam ipsum fineant diem. Sic enim ille: *Nostra certè ætas*, inquit, *non semel vidit diurnas faces, alias ab oriente in occidentem versus, alias ab occidente in ortum.*

QUÆSTIO IV.

Cur stellæ, cum transvolant, videantur longum iter porrigere?

RESpondet idem *Seneca* l. 1. Nat. Quæst. c. 14. propter immensam celeritatem: cum acies nostra non discernat transitum earum, sed quacunq; cucurrerunt, totum ignitum credat. Tanta enim est velocitas motus, ut partes ejus non dispiciantur, sed totum prendantur. Intelligimus magis,

quà

quà appareat ſtella, quàm quà eat. Itaque velut igne continuo totum iter ſignat: quia viſus noſtri tarditas non ſubſequitur momenta currentis, ſed videt ſimul, & unde exilierit, & à quo pervenerit.

QVÆSTIO V.

Cur ſtellarum cadentium motus in fine ſegnior ſit?

R. Quod in noſtris pyrobolis artificialibus accidit, id ipſum in Stellis cadentibus quoq; contingit, ſc. quod tardiuſculè in fine moveantur. Fit autẽ hoc (1) *propter effluvii decrementum.* Quia enim effluviũ, impreſſionem ſuſtinens, totum fermè in fine eſt abſumptum, ideò tantâ vi, quâ antea, cum omnes ſpiritus ſulphurei adeſſent, præditum erat, cadere non poteſt. (2) *Propter aëris inferioris denſidatem*, quia aër terram verſus ſemper eſt denſior, ob effluviorum exhalatorum multitudinem. Quo ergò proprior terram trajectio accidit, eò ſegnior etiam apparet, quia craſſum aërem, æque ac ſubtilem, tranſire non valet. Vid *Formand.* meteor. l. 2. c. 5. art. 3. c. p. 98.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quid stellæ cadentes præsagiant?

DIstingv. hic inter *prædictionem necessariam, & contingentem*: Inter *necessitatem apodicticam ac inevitabilem*, & inter *topicam, seu probabilem conjecturam*: item inter eam, quæ fit à *priori* & ex *causis* colligitur, & à *posteriori*, quæ ex *effectu* deducitur: non illas, sed has h. l. intelligimus. Prædicunt autem stellæ cadentes (I) *siccitatem*, (I) *quia* constant ex exhalatione calidâ & siccâ, quæ in siccis avidisq; locis resolvitur. (2) *Quia* harum trajectionum frequentia cum pluviarum præsentia consistere non potest. Pluviâ enim inundante terram, quomdò calida & sicca effluvia exhalare possunt? (3) *quia* terra, per crebras ejusmodi concretiones attenuata & rarefacta, fontes etiam ipsi arescunt; cum in locum sulphureorum & pinguium spirituum, jamjam exhalatorum, aquæ succedant: significant. E. stellæ cadentes siccitatem. (II) *Ventos*, quod probamus (1) *ex effluviorum exhalatione*; quando enim sol calore suo effluvia pinguia ac sulphurea è terra educit, quibus postea imprimuntur stellæ, dubium certè nullum esse potest, quin eadem

dem etiam solis & astrorum vis una cum illis effluvia flatuosa extrahat atq; spirituosa, ex quibus deinceps progenerantur venti. Notandum autem hic (a) *quod stellæ ab ea parte, à quâ discedunt, & in transversum abeunt, ventum spiraturum significent*; quia ibi ventum jamjam adesse ostendunt, qui eas obliquas agitat, licet ille ad nos nondum pervenerit e. g. si trajectiones à meridie septentrionem versus labuntur, significant, ventum ibi in meridionali plaga jam esse, eumq; mox etiam ad nos descensurum. (b) *Quod si è diversis mundi regionibus stellæ exiliant plures, qui aërem turbent, portenduntur venti*; Ratio: quia signum est, variis undique effluviis aërem esse refertum, quæ facilè in materiam ventorum transire possunt. (2) *ex Philosophorum celeberrimorum testimonio.* Docenti enim idem non vetustiores solùm, ut est ipse *Aristot.* l. 1. Met. c. 2. *Plinius* l. 2. Nat. Hist. c. 36. *Seneca* Nat. Quæst. c. 4. *Ptolomæus* in Centiloq. c. 29. sed recentiores etiam, ut sunt *Conimbr.* Tr. 2. in Met. Arist. c. 2. p. m. 14. *Magirus* Phys. Peripat. l. 4. c. 2. p. m. 266. *Meurerus* Quæst. meteor. p. m. 199. *Fromondus* meteor. l. 3. c. 3. art. 1. p. m. 53. & cap. 4. art. 2. p. 92., *Sennertus* Epit.

Nat.

Nat. Scient. l. 4. c. 2. p. m. 308. nec non B. Scharff. Physf. Special. l. 4. c. 1. p. 401. aliiq;.

SECTIO III.

AXIOMATICA

AXIOMA I.

Stella cadens species mundi non est.

NOn enim facit ad integritatem mundi, qui perfectus satis fuisset, etiamsi nullæ jusmodi extitissent *stellæ cadentes*. Acciden- a quoq; sunt hæ stellæ: species verò mundi orpora sunt, substantiæ sunt, entia com- leta sunt, rectè & perfectè in primo rerum aturalium molimine à Deo creata, ad con- toris gloriam & integritatem hujus uni- ersi.

AXIOMA II.

Stellæ cadentes naturales suas caussas habent.

Unt, qui portentis eas annumerant, quemadmodum & Draconem volantem lminaq; ex rerum naturalium numero ex- udunt. Sed hi erunt ferè, qui expertes sci- tiæ naturalis nihil rectum, nisi quod moribus

busipsorum, hoc est, ignorantiâ conveniat, putant sensumq; dimittunt in iis, quæ sensibus sunt obvia, quod maximæ stultitiæ indicium est. Interim non excludimus hoc canone *supernaturalem* eamq; primam omnium rerum causam, Deum videlicet. Sine hoc enim fieri haud quicquam potest. Verùm cum caussa prima non agat sine secundis, nisi extraordinariè, idcircò secundæ etiam temere negligendæ non sunt, nec confugiendum ad primam, ubi illæ sunt in promtu.

AXIOMA III.

Stella cadens ens reale est.

ENs reale opponitur 1. *Enti rationis*, in quo sensu omnia entia realia sunt, quæ non ratione finguntur. Ut, Cœlum, ignis, aqua, terra &c. 2. *Enti in potentia*, quo sensu omnia Entia realia sunt, quæ actu existunt. Ut, dies hodiernus, sol, luna &c. 3. *Enti intentionali*, quâ ratione entia realia sunt, quæ id sunt, quod esse videntur, ut pluvia, nix, grando &c. *Primo* & *secundo* modo stella cadens *ens reale* est, non *tertio*.

CON

CONCLUSIO

ATque hæc ſunt, quæ Deliciis hisce Phyſicis includere volui: Addidiſſem plu-a, niſi ſanctioribus ſtudiis conſecraſſem, quod vitæ mihi reliquum eſt. Ea tamen, quæ n hoc literarum genere jam elaboravi, ut unt *Hæmatologia curioſa*, *Phyſica fabuloſa*, & lia, ſi DEUS voluerit, tecum, Benevole ector, communicabo, Cætera relicturus s, quos ad hoc ſtudium ſelegit atq; evocavit DEUS. Mihi jam ſatis eſt, oſtendiſſe onatum atq; edidiſſe ſpecimen illorum fru-tuum, quos in hoc genere aliquando exſpe-tare à me poſſit orbis eruditus. Etſi hæc *αρέργων* tantùm loco habui, & alia potius pectavi, Reipublicæ utiliora. Quæ quidem me nondum ſunt; verun tamen ut eſſe poſſ-nt, magno mihi ſtudio ab adoleſcentiâ eſt laboratum. Interim DEO me meaq; o-nnia commendo, & ſi ab hoc receſſero, æcenatibus etiam mea offero ſtudia ad glo-iam DEI & hominum ſalutem in Eccleſiâ, cademiis aut Gymnaſiis promovendam, deſtinata. Quibus, ſi uti voluerint, pro tanto ipſis beneficio habe-bo gratias,

DEO GLORIAM!

** ** **

ERRATA CORRECTORUM
in Dedicatione

paginâ 4. *versu* 14. *post* Latinitatis, *adde*, sed veritatis. *pag.* 5. *versu* 6. *pro* demisisse, *lege* demisisti. *eâdem pagina versu* 11. ad finem, *adde*, tandem perveni; sed pede non inoffenso. Jamq;.

Cætera

Quæ in ipso opere occurrunt, Benevolus Lector ipse deprehendet & pro candore suo corriget.